



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Reverendi Patris Vincentii Carafæ, Septimi Societatis
Jesu Generalis**

Bartoli, Daniello

Leodii, 1655

Liber Secvndvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42928

LIBER SECUNDVS.

C A P U T . I.

Vincentii cupiditas patiendi atque ex patientia gaudium.

ULTA graviaque Numinis causâ fortiter ferre, discipli- Vincen-
narum omnium sublimissi- tui ardēs
ma est. Hinc & perdiffici-
lis, nec nisi Spiritus Sancti institutione,
quin & virtute parabilis, atque adeo rara,
& parum nota vulgo. Verumtamen cùm
Deo visum, quempiam itinere brevi ad
sanctimoniaz culmen perducere, hac il-
lius pectus imbuit: firmat auxilio: affla-
tu animat. Nec mora per laborum sa-
lebrosa, perque dolorum aspera, Duce &
Auspice Christo, procurretur. Sed aggre-
di aut coëptare ardua, haud paulò minus
arduum, quam persequi. Hoc enim
opus, hic labor ast: id verò in solos he-
roas cadit, ita corporis cruciatus ac do-
lores posse contemnere, ut animi Deo

P 4 fruentis

fruentis gaudium non obnubilent: quin
& dolores ipsi jucundi, & acerbitas suavis
toleranti accidat; sive quemadmodum
ex mente Chrysostomi canit Regius Psal-
mista: *Vt nox sicut dies illuminetur*, nox,
inquam afflictionis, pulla veste licet re-
tentâ, serena fulgeat. Porrò inter hujus-
modi lectissimos viros Vincentium meri-
tò censeri, dubium non est. Primam si-
quidem hanc præceptionem hausit à Spi-
ritu Sancto, dum adolescens Deo in So-
ciate se donavit, ut Dei gratiâ multa
pati studeret. Liber illi, ex quo hæc eru-
ta, Christus cruci affixus: pagina prima,
ejus dolores: nec secundâ fuit opus ad
reliquum vitæ, usque sexagesimum an-
num productæ, cum fortitudine patien-
tiaque incredibili transfigendum. Sem-
per illi præ oculis mentis ille liber; sem-
per in amorphibus: atque adeo semper ipsi
ærumnæ cordi & crucis. Nec verò illas
aliter vocare solitus, quam cum S. Jacobo,
Omne gaudium. Propterea longè illi gra-
tius illud Xaverii, *Amplius, amplius* (do-
lorum scilicet & laborum, quos prospic-
ciebat sibi in Indiis esse subeundos) quam
hoc ejusdem, *Satis est, Domine, satis est*
(nimirum)

(nimirum solatii divini) quod vir sanctus
veste à pectore diductâ succlamabat, vel
ejus incapax, vel sanctè impatiens præ
cupiditate patiendi. Et sanè cùm Vincen-
tius sive ex humorum vitiatorum intem-
perie, sive ex morbis graviter afflictare-
tur, vultu ad signum Redemptoris con-
verso, *Quid hæc, aiebat, ad Domini mei*
cruciatus? Tum Xaverii spiritu incitatus
non semel ipsius verba iterabat, *Amplius,*
Domine, amplius: & si vota explere li-
cuisset, non nisi universis Christi plagis
confossus, pudore perfusus, columnis la-
ceratus acquievisset. Ita factum, ut quæ-
cumque materia patiendi se offerebat,
hanc percupidè amplecteretur: contra
verò dolorum remedia, etiam obvia le-
viáque, imò & omne oblectamentum
solatiūmve humanum pro virili defuge-
ret. Si quis autem juvandi aut benefa-
ciendi studio ea adhibere vellet, habe-
bat ille quidem benè volenti, quantas
poterat, gratias, agebatque ut par erat:
sed & oblata rejiciebat, dictans eum
qui cruci affixus sit, interea dum vivit,
refigere se non debere.

Quām autem acerba, quamque per-
P 5 petua

Dolorū
origo
prima,
immo-
dicus
scrivor.

petua Vincentii crux fuerit, ex primā ejus origine disce. Paucis ante obitum annis ad aliquod charitatis ministerium ibat, comite Patre illi perfamiliari. Sermo incidit, nescio quo pacto, de ipsius infirmitate corporis, ac tibiarum præsertim, quibus non nisi perègrè trahebat corpus, aut sustinebat. Tum ipse exporrecta hilarique fronte, erectisque ad cœlum oculis: *Lauderis, inquit, mi Deus æternum: vires omnes meas dicavi tibi: Patremque alloquens,* indicavit quemadmodum ex robusto vegetoque, qualis ante initam Societatem fuerat (adeo ut fatigaretur numquam, quantumcumque corporis & animi nervos intenderet) post eamdem initam evaserit debilis: tamque nullis viribus, ut sæpenumerò collapsus sternere se super lectulo cogeretur, ne omnino deficeret, & adstantes concurrere ad eum refocillandum, corroborandumque, ut spiritum valeret resumere. Ratus enim propriâ tironum imprudenteria temeritatēque à se peccatum, sic ingenue loquutus est. *Quando Societati me dedidi, attentiùs commentatus illud Domini præceptum, Diliges Dominum Deum*

Deum tuum ex toto corde tuo , & ex „
tota anima tua , & ex totis viribus tuis; „
obligatum me credidi, quidquid agerem, „
quanta possem, mentis animique conten- „
tione, ad Numinis cultum agere, atque „
adeo cum perfectione tanta , cui ego „
quidem nihil addere valerem. Itaque „
tota vitæ meæ actionumque mearum „
series non nisi perpetuus ignis erat amo- „
ris divini, quippe nec intermissi unquam, „
& semper inflamatissimi. Sed enim „
conatus viribus major fuit , & natura „
brevi illi succubuit. Fractæ primùm vi- „
res: tum earum defectio usque ad fre- „
quens deliquium, exhaustis consumptis- „
que omnibus propè spiritibus vitalibus; „
vixque aberat quidquam, quin ex hac „
eadem spirituum inopiâ supremum spiri- „
tum identidem exhalarem. Ingravesce- „
bat malum , eò quòd hæc quoque vox „
Christi altè in animum meum se penetra- „
ret: Qui non odit animam suam , non „
potest meus esse discipulus. Sic enim me- „
cum ipse reputabam ; quantum mihi „
amandus esset Deus, tanto opere me mihi „
frangendum esse, afflictandumque omni „
generie cruciamentorum seu animæ seu „
corporis:

„ corporis : nec committendum, ut natura
 „ impetum vel propensionem , ullumve
 „ oblectamentum sequerer. Itaque mihi
 „ omnino me infensum infestumque de-
 „ bere esse, licet vitæ spatium accidendum
 „ foret. Sic enim verò illud accidisse Aloy-
 „ sium, non tantum citra culpam aut teme-
 „ ritatem, quæ imminente morte religio-
 „ nem illi moveret, ut ipse tum declaravit;
 „ sed etiam cum meritorum accessione.
 Grates igitur, aiebat, se debere ac per-
 solvere Deo Opt. Max. quod ipsum eo
 errore labi sivisset: si quidem absque illa
 virium defectione fuisset, non perennatu-
 ram illi segetem meritorum , è continuis
 corporis doloribus, ad minimum incom-
 modi morbive afflatum, incrudescen-
 bus : nec patientiæ suavissimos fructus
 à se fuisse gustandos, si, ut erat in Socie-
 tatis ingressu , vegetus ac robustus man-
 sisset. Ita Vincentius : periti œconomi
 instar , etiam detrimenta & morbos in
 rem suam convertens, quæ quamplurimi
 hodieque vel in ruinam vel in fastidium
 vitæ Religiosæ male detorquent.

Altera,
petilio

Ceterum non solum illius fervores , et si
 immodi ci, valetudinem læsere : sed præ
 ceteris

ceteris preces ardentes ad crucifixum ,
 ut ad dolorum ipsius communionem ,
 crucem secretam reliquisque invisam sibi
 concederet. Valet enim & h̄ic verbum
 vetus : amicitia si non invenit similes ,
 facit: verosq̄e ac fideles Christi servos
 pudet mollius Domino haberi : nec fa-
 vor ac solatium leve illis est, quod nem-
 ine conscientia patiantur , quia sciri dolores ,
 vile nimis ac molle solatium est , &
 aspernabile viro forti. Porro adeò non
 irritæ fuere Vincentii preces , ut durissi-
 mam ac maximam crucem deinceps tu-
 lerit. Corpus igitur illi , ut familiaribus
 subinde dixit , maximè à cingulo deor-
 sum versus , quasi glacie rigens ac dura-
 tum , tantisque algore pressum , ac si me-
 diâ s̄avientéque hyeme aquis immersum
 esset. Gelida illi renibus fluctuare : ani-
 mus peregrino assistere corpori ad mo-
 tum; non inditus esse ad calorem vita-
 lem ingenerandum : denique mirum ipsi
 videbatur , quod non perpetuò tremeret.
 Addebat ad commentandas tartari pœ-
 nas , non aliud quām frigus suum sibi pro-
 ponendum esse. Hoc enim reputantein
 continuò capere , aestimareque quantum
 mortali

crucis
arcanæ,
unde
corpori
algor
ingens
inditus

mortalis fas est ; stridorem dentium à Christo descriptum. Nominatim autem tibiæ præ frigoris acerbitate erant velut emortuæ; quas & propter tumorem, & pondus, & stuporem, duas columnas marmoreas vocitabat : nec meminerat, ex quo male affectæ erant, recalefactas umquam, nisi semel esse. Nimirum quando Vesuvio monte multis partibus disrupto, iisque tamquam orci faucibus ignea flumina ejaculato, quæ longè latèque agros inundaverant, charitas cum impulerat ad iter Porticum usque & Resinam per cineres spumasque adhuc bullientes, ad opem miseris ex incendio elapsis collatitia stipe ferendam, visendamque Illuminem feminam, quam Immaculata Deipara spectandam ei se præbens, pallio suo coopertam prodigiosè ab eo servarunt. Atque hoc quidem frigus principio hebetem illum effecerat, impotemque omnium seu mentis seu corporis actionum, quæ vel in studiis sacris, vel in profanis versantur, atque adeo penitus ineptum ad procurandam de more, proximi salutem. Sed ipse pro suo ardenti in eum amore utriusque usum divinitus impetra-

impetravit. ita tamen ut virium accessione, quibus strenuissimarum operarum labores æquavit, assiduis cruciatibus nihil decederet: quæ cuncta nonnemini ex intimis sibi Sacerdoti, cùm Româ discederet, Vincentiumque ultimum salutaret, significavit.

Mansisse verò dolores istos ex illius voto, plus nîmio compertum est. Indicavit enim & hoc ipsum Neapoli ei Patri, quem Sodalitii nobilium Equitum regendi administrum habebat, arcana eidem sua ingenuè credere suetus. Accedit quòd periculosè ægrotans cùm urgeretur ad votum pro valetudine concipiendum, primùm omnino renuit, præcidebatque omnem hac de re sermonem; deinde cā attentiùs perpensâ; nuncupavit quidem: sed hac interposita conditione, ut nisi valetudo protinus restitueretur, voti reus non esset. Hac scilicet redditâ causâ, quòd sibi ægrotanti melius esse putaret, quàm fano. Corpus utique ægrotum faciliùs morbum leviusque ferre, quàm valens necessarium acerrimumque dolorem. Nec enim moveri illud sine gravi cruciatu posse, cui febres, quamquam totum

& pro
ejus de-
siderio
perma-
nens

totum exederent, parem non afferrent.
Ut intelligas voturum non fuisse, nisi, ut
incommodiūs haberet. Certè corpori
contra frigus muniendo, adscititium &
interius vestis textum admisit numquam:
neque amictus plures quàm fratrum vul-
gus, neque chirothecas, etiamtum cùm
Provincialis Provinciam Neapolitanam
lustraret, cuius quædam Collegia cœlo
perfrigido nivosoque utuntur. Cumque
aliquis illum, ad corpus contra frigus ve-
stibus probè instruendum propè adigere
vellet, quòd diceret præ gelu alioqui
emoriturum; ipse contrà: *Præ pudore,*
citiūs, ait, si plus ceteris corpus muniero:
nec enim hujus rei conscientiam ferre
se, utique ceteris præfectum, ullatenus
posse. Multo minùs impetrare à se po-
tuit, ut permitteret, vel lectum sibi ex-
calefieri, vel prunas cubiculo inferri.
Cùm verò universam Societatem mode-
raretur, vulgare erat apud nostros Romæ,
Generalem non aliud compendium ex
dignitate sua capere, quàm ut hyeme
in conclavi ignem aleret: qui quidem non
tam ipsius, quàm præstantium virorum
ad eum ventitantium gratiâ struebatur.

Sed

Sed magnus quæstus est, pietas in Deum, ejusque causâ suscepta commodorum inopia; & Religiosarum familiarum Patribus tam raro exemplo præluxisse, omni Generalatûs dignitate majus, & ferè divinum est.

Sed enim è dolorum tolerantia tantis fruebatur solatiis, deliciisque cælestibus, ut humana commoda respuendo, rem suam egisse; & tolerando cruciatus, voluptatem aucupatus esse videri possit. Cum-
que sin-
gulari
volu-
ptate
inter
dolores Quanti enim cumque illi essent, lætitiae ex ipsis existenti multum concedebant. Quam lætitiae vim cum ea componebat; quâ completur quis, dum thesaurum insperatò invenit. Quemadmodum erim, ut aiebat, qui divitem auri venam, aut magnam copiam aureorum duplionum Hispanicorum humo infossam deprehendit, rem alios omnino celat, ut solus iis potiatur: ita qui insueto Christi favore atque indicio thesaurum invenit sanctæ illius crucis, ac dolorum, occultare illum reliquis debere, ne, si quispiam inventum resciat, bona illius pars possessori adimitatur, sive remediorum ac lenimentorum aggestu, sive plena charitatis commis-

Q ratione:

ratione. Ita quamvis illi sano pejus esset, quām ægris aliis, non nisi ad extrema redactus, sic ut ferre pedem nequiret, medicorum implorabat opem. Imò etiam tum ab aliis interrogatus, quī valeret, numquam nisi bellè se valere respondebat. Accidit aliquando, ut auditō hujusmodi ex ipso febriente responso, subjecerit quispiam admirabundus: *Sic*

*elevan-
do co-
rum
acerbi-
tatem* *cine bellè, mi Pater? cum ardente febri,
cūmque tanta virium imbecillitate, ut ne
digitum quidem valeas movere? Omnino
bellè, reposuit Vincentius. Nec enim aliud
ab æternis cruciatibus tartari, nomine
mali dignum esse. Quæ autem nunc pati-
mur, cùm tam brevia ac pusilla sint, ne-
mini videri posse mala, nisi qui oblitus
sit æterna. Adeo scilicet suum patientiæ
thesaurum tegebat, ut nihil admodum
se pati tum sibi, tum aliis persuadere stu-
deret: cui responso non absimile est
quod subjicio. Insidenti nobilem puel-
lam dæmoni exorcismos intentabat Vin-
centius, rogatu Cardinalis Boncompa-
gnoni, Archiepiscopi Neapolitani, nec
mediocriter eum urgebat. Itaque furore
percitus, tam socio quām ipsi minatur
effecturum.*

effectum se, ut utrique caro constet,
quæ sibi inferebatur molestia. nec fru-
stra. Nocte sequente nequam ille inqui-
linus, Socii Adjutoris cellam irrumpens,
correptum illum crudeliter cædit. Tum
lecto susque deque verso trementem in
medium cellam deturbat. Benè mane
miser ille plagis contusus, tristi ac de-
misso vultu confert se ad Vincentium,
livorem vulnerum ostendit, veritusque
ne sequenti nocte crudelis ille ludus in-
stauretur, ejus invocat opem. At ille
subridens, *Fierine potest*, inquit, *ut tan-*
tula res tantum tibi mærorem ac sollicitu-
dinem creet? Quidquid in nos dæmones
possunt, vel per summam sævitiam, nihil
est. Et quia nec ejus vox, nec vultus, nec
gestus quidquam incommodi ab iis ac-
cepti prodebant, suspicatus frater sancti-
moniæ ejus respectu nihil ausos in eum
dæmones, in se unum sæviisse petiit, an
& in ipsum? *Imò verò*, respondit Vin-
centius, *Nec iam primùm sæviere. At ne*
metue, si rursum ad te adeant, jube illos
nomine meo ad me venire; nec enim est,
quare illa Orci servitia timeamus; pul-
verem tergo nostro iniicere, qui facile

excuti queat, nec aliud amplius possunt.

Quoru
etiam
lenimē-
ta refu-
giebat

Cæterum luculentius, ut opinor, se prodidit illud ejus inter cruciatus gaudium, ex ea quam hic principio innuimus, jámque expositum imus, remediorum in morbis fuga: nisi forte morbis ipsis essent acerbiora. Sic enim philosophabatur. Si quis fel Christo in cruce pendenti propinatum, immisto melle condire voluisset, haud dubiè suavitatem ejus divinam obtudisset: neque verò qui illam contemplando hauriunt, adeo probarent: ita si dolorum acerba delicatis remediis ac escis condire voles, peribit illis sapor ille, ac suavitas, quæ sola placet palato animarum, quas cepit verus ac genuinus amor JESU crucifixi. Quondam Neapoli mensæ tempore in triclinio non comparuit: id quod observatu facile tum erat, quod ipse Rector Collegii, caput mensæ tenere haberet. Quæsus, in cubiculo reperitur pallidus & pessimè affectus, ut vestigium figere nequaquam valeret: hilari tamen vultu. Attoniti hoc spectaculo Nostri, scitati sunt ex eo unde hilaritas tanta tam fracto corpore. Ipse verò solemnem sibi lætitia esse

esse respondit, utique deprehendenti se
eo valetudinis statu, quem perpetuum
esse velit. Defertur ad nostrum Noso-
dochium: Medici accersuntur, qui anim-
advertisentes vim ejus nativam adeo de-
bilitatam esse, ut propè extincta videre-
tur, propter maximam vitalium pariter
animaliumque spirituum penuriam, sym-
ptoma illud perquam periculosum cen-
suere, confessimque decoctum ex car-
neo pulli cremore expressum ei fovendo
præscripsere. Turbari Vincentius hujus
medicationis nuntio, Medicis persuadere
affectiones hujusmodi non esse sibi inso-
litas, atque adeo minimè utendum, sal-
tem in primo morbi vestigio, tam insoli-
tis exquisitisque remediis: nec enim jam
multo deterius se habere, quam cum be-
nè: denique vulgaribus escis citius ac
melius convaliturum. Sed preces omnes
& argumenta hæc frustra: parendum fuit.
Verumtamen quod negavere Medici,
concessit Deus. Hoc enim illius deside-
riis obsequente naturamque virtuti ac-
commodante, cum porrectum esset illud
decoctum, tanto illius fastidio horroré-
que correptus fuit, ut provocato ad

Q 3

rejectum

rejectum stomacho necesse foret illi levando viliores cibos præbere. Simile quid alias eidem accidit. Cùm enim violento dolore capitis laboranti cochlear saccari rosacei porrigeretur, vehementer contristatus est. *Fierine siquidem posse, ut ipse unus, ista in domo, his cupediis egeret? talémne morbum esse suum, ut sine deliciis curari nequiret?* *Quid enim aliud faciendum esse, si aut mors in foribus ad esset, aut ipse unus aliquis ex Patribus eximiis esset, quem vel servare vel amittere Societatis magni interesseret?* ita ipse. Usque adeo germanæ virtuti grave est, quod sapit naturæ.

Beatum
se ratus,
eorum
perpe-
sione

Quin etiam Vincentio non alia in terris felicitas erat, quam tolerantiae. Itaque miseris ægrotisque calamitatem ægritudinemque sancte invidebat. Aiebatque si Angelus aut aliis aliquis cæli civis, animi causâ cælo descenderet, non accessum ad Principum aulas ac palatia, spectandæ istic Cæsarum Majestati aut opulentia Regum; sed continuò ad valeudinaria convolaturum, contemplandæ pauperis alicujus Lazari projecti in angulum ac derelicti patientiæ. Et ipse hoc genus

genus oblectamenti, beatæque miseriæ, avidè captabat. Observarunt qui eum comitabantur ad incurabilem nosocomium, cùm ingressus esset, circumferre oculos pedesque solitum, iisque adhærescere, qui tetrici tabe affecti essent. Erant autem quandoque, quorum fœditas oculis, fœtor naribus intolerabilis, reliquos fugarent etiam à sui conspectu. Quibus tamen incredibili hilaritate mentis ac vultus, adjungebat sese, famulabatur, tangebat, contrectabatur, amplexabatur, vixque ab iis avelli poterat. Sensisse eum velut in cœlo versari: & profectò Christum in misericordiis illis intuebatur, & ministerio illo beatum se credebat. Interea, quod morbos ac dolores eorum sibi asserere non posset, quem poterat, putorem avidè hauriendo suum faciebat, plagasque ac ulcera, quantum fas erat, vindicabat sibi; sive ea peroptando, sive eos quibus inerant, complectendo. Quondam socius ejus Sacerdos dum in valetudinario illo versaretur, dixit Vincentio, videri illud sibi pulchrum ampliusque esse librum, in quo legi posset multiplex in nos miserationis

Q 4

Dei

Dei & tutati & tutantis ab hujusmodi quibus obnoxii eramus malis ; & quidem citra omne meritum nostrum. Reposuit ipsi Vincentius, eâ vi loquendi , ut sermonem ex animo profectum esse constaret, hæc digna cedro verba. *O utinam isto Numinis favore dignatus forem , ut omnium illorum mala unus ipse sustinerem!* Urebatur alteri Sacerdoti digitus pestilentî ulcere: huic Vincentius in solatium scribens affirmavit, de istiusmodi dígito verè dici posse; *Digitus Dei hic est,* id est, unicè ipsi dilectus inter reliquos; quod scilicet unus ipse cruciaretur: nec enim ambiguum esse, quin reliquis eidem Numini esset acceptior; id quod de ceteris membris male affectis pariter dixisset. Alias cum quibusdam è Patribus nostris aderat Sacerdoti itidem nostro, graviter laboranti ex quinque omnino plagis, quæ ex ejus corpore eruperant. Fuit qui narraret insigne Deiparæ Virginis beneficium ægro apparentis, postque suavissimum amplexum pollicentis paucis post diebus se illum cœlo illaturam. Alter continuò id beneficii sibi vovit. At Vincentius, si quid ab Immaculata universi Regina,

Regina, dignum ipsius pietate, dignum
majestate postulare vellet, illud futurum,
ait, ut ipsa seipsum quinque hujus ægri
plagis affectum cruci configeret; quod
non audaciùs aut magnificentiùs quam
verius dixit; vir utique, qui adeo dolo-
ribus pascebatur, ut satiari non posset.
Certè quidem dilecta illi tibiæ plaga &
plurium & gravium instar erat, sive ob
molestas convulsiones, sive ob mali per-
tinaciam, sive ob dolorum perpetuita-
tem, sive ob malignitatem tantam ut
metus foret, ne in gangrenam degene-
raret. Quam plagam in primis Dei erga
se beneficiis numerabat: eò maximè
quod illius curationi incidenda esset viva
caro, adhibendusve pulvis exedendi vi
præditus, atque adeo graviter cruciandi:
optatissimū forti animo utrumque malo-
rum remedium. Cumque præ doloris
magnitudine multas noctes duceret in-
somnes, has ille paradisi noctes nominabat.
& verò momenti instar prætervola-
re illi videbantur, tanta erat unà cum
Christo JESU patiendi voluptas, cuius
cruci fixi signum de manibus non depo-
nebat, à quo animosque viresque sibi

Q5 suggeri

suggeri sentiebat. Postremo nihil illi hoc in orbe carum, nihil delectabile, nisi perennem secum traheret cruciatum catenam. Quocirca conquerente nescio quo de mundi ærumnis, homini quoquo se vertat, necessariò perferendis; ipse contra nihil in eo boni præter hoc ipsum se deprehendere posse retulit: absque quo, non apparere, quid in eo fieri quâve ratione vita tolerari queat.

C A P U T II.

Voluntarii ejus cruciatus.

De eis
genera-
tum

MAgno incendio alendo magna lignorum strues necessaria est. Cùm ergo tanta esset Vincentii cupiditas patiendi, quantam vidimus; nimirum illi explendæ non satis erat ferax per se ingentium dolorum corpus, sed nova in dies materies suggesta. Ipse itaque è tirocinio ipso missionem Indicam afferenter sibi depositit, proque impetranda, efficacissimas dedit ad R. admodum P. Claudium Aquavivam Societatis Præpositum Generalem. Duæ res illum ad id impellebant. Prior, ut innumerabili illi desertæque

desertæque barbarorum multitudini notitiam amoremque Opt. Max. Numinis inderet, ad quod officium sua Numinis ejusdem notitia amorque obstringere videbantur. Posterior proposito propior, ut in ea infinitam patiendi materiam nancisceretur ex plurium annorum, innumerorumque milliariorum itineribus, ex maximis terra marique periculis, ex commigratione ab æstu summo ad summos algores, adque terras cœlo soloque diversissimas, ex commoratione ignotos inter & barbaros, vita victuque brutis quam hominibus simiores, ex fame, siti, vestium, omniumque humani generis commodorum inopia, denique ex horrendis insectationibus, ex nece vel veneno, vel ferro, vel igne inferenda, vel laborum oppressione subeunda. quæ utraque summis illi in votis erat. Sed cum divinæ menti sedisset Italiæ eum servare, ad munera cum sibi, tum Societati magis gloria, Clodium ejus petitioni acquiescere non sivit. Quod ille animadvertisens, simulque spes suas deinceps irritas fore, secum ratiocinatus, confecit in Italia Indias sibi esse vel inveniendas

veniendas vel condendas. Itaque sancte
constituit accipere se in posterum, quam
peffimis fieri posset modis. Cùm dignus
non esset habitus, qui barbaros inter pro
Christo occumberet, futurum se sibi &
barbarum & carnificem & martyrem.
Quocirca ejusmodi vitam sibi esse du-
cendam, quæ perenne martyrium dici
posset, & mors perpetua, cumulatis,
nec umquam intermissis, tam intestinis
quàm externis cruciatibus. Quæ ipse
omnia ut fortiter statuit, ita præsttit
constanter. Quare mirabantur omnes
illum seu sanum seu ægrotum, seu præ-
fectum aliis, seu subjectum, repudiare
semper omnia, utcumque lenia, nec à
communi usu aut perfectione aliena, quæ
vel minimâ aspergere illum voluptate,
aut ejus cruciatus mitigare possent. Te-
stanturque complures continenter ad
mortem usque corpus afflictasse suum,
adeo ut integra ejus vita non aliud esset,
quàm asperitas in seipsum perpetua; nec
vulgaris illa quidem, sed omnino supra
communem modum: ut qui impulsum
Numinis non animadvertisset (virtutis
indicio severitatem illam imperantis)

non

non imprudenter judicasset Vincentium
vel rationis limites in eo excedere, vel
tam robustum esse ut facile ferret, vel
tam stupidum, ut minimè sentiret.

Quatuor verò velut regulas sui frangi-
gendi sibi propositas habebat, ut in ejus
adversariis repertum est; quas in hanc
sententiam descripserat. Statuam me in ^{corun-}
corde JESU crucifixi, & Immaculatæ ^{dem}
Deiparæ ad pedem crucis stantis; non ^{quædā}
alibi. Huc spectat illud Servatoris: unum ^{regulæ}
est necessarium: Maria optimam partem [„]
elegit. Hunc in finem amoliar ex ani- [„]
mo meo omne aliud desiderium: ac pri- [„]
mùm nullam umquam oblectationem [„]
corporis aut animæ optabo, exemplo [„]
Redemptoris mei sic loquentis: Tristis est [„]
anima mea usque ad mortem. Deinde [„]
spernam honores omnes cujuscumque [„]
generis, cùm Christus dixerit de seipso: [„]
Ego vermis & non homo, opprobrium [„]
hominum & abjectio plebis. Præterea [„]
non dabo operam valetudini. Cùm de [„]
codem Domino JESU scriptum sit, A [„]
planta pedis usque ad verticem capitis, [„]
non est in eo sanitas. Postremò me to- [„]
tum configam cruci ex sententia Apo- [„]
stoli [„]

„ stoli de se sic affirmantis : Christo con-
„ fixus sum cruci. Tres clavi , tria vota,
„ paupertatis , castitatis , & obedientiæ :
„ audiámque S. Augustinum docentem ,
„ nos interea dum vivimus , à nobis è cru-
„ ce revellendos non esse. Faxit Deus ut
„ primùm inter brachia sanctæ hujus cru-
„ cis moriar, ac tum ab Immaculata Maria
„ ex ea refigar. Hæc fuerunt Vincentii
„ decreta. Et profectò nî Præfides singu-
lari prudentia ejus valetudini cavissent ,
sui illum ardores in eum statum rede-
gissent , in quo Societatis muneribus ,
animarúmque saluti nequaquam usui esse
potuisset. Sic amor divinus dum modum
ipse sibi metuit , prudentiæ fines quan-
doque excedit. Sed qui cœcus est , er-
roris quidem reus , non autem culpæ
esse potest. Ceterùm illius jejuniis mo-
dum imposuit R. admodum P. Mutius
Vitellescus , quippe nimis severis etiam
tum cùm faceret iter Provincialis , Col-
legiaque Neapolitanæ Provinciæ lustra-
ret : alii pariter Moderatores aliis ejus
voluntariis pœnis . Et ipse præscriptos
sibi ab iis fines , ut erat in omnibus ob-
sequentiissimus , numquam præteriit , non
ignarus

ignarus se non jam suum esse, sed Religiosæ, cui nomen dederat, familiæ; plurisque æstimandum sacrificium voluntatis, quām corporis: atque ut abessent cetera, voluntatem divinam, qua Præsidum leges velut anima constant; piissimis quibusque desideriis præferendam.

Verumtamen non pauca ejus votis ac precibus data sunt. Sinebatur enim non raro ultra statos inediæ dies eam rigidiùs observare: pervigiliis item B. MARIÆ Deiparæ omnibus pane & aquâ contentus esse: diebus ceteris adeo cibi potusque parcus, ut illius vitam perpetuum jejunium dixisses: & observatum est non solitum illum edere, nisi ægrè ac moleste, tamquam cibos aversantem, nec sine suspiciis animo scilicet ad alios cibos aspirante. Unde fiebat ut vel avertendæ menti à sensu voluptatis è cibo perceptæ, vel convertendæ ad divina, eam intenderet audiendis, quæ super mensam legabantur. Quoties habenda illi concio erat, cibo se potuque omnino ante illam abstinebat; ne dignum aliquid videretur facturus, qui opinione sua nihil perficere posset, quod micam panis mereretur.

Frequen-

Vincen-
tii inc-
dia

Frequenter & graviter dentibus laborabat, eratque illi gratus dolor ille, tum per sese, tum quod cibum mandi, atque adeo multum sumi non sineret. quam inediae occasionē sibi gratulabatur. Tantum aberat ut eximiam aliquam escam facilisque molituræ peteret, aut admitteret. Numquam appositas sibi in mensa herbas vel sale vel oleo vel aceto condiebat, sed ut ex horto lectæ erant, crudas sumebat. Sexennio quo tirocinium rexit, non alio ferè quam secundario, & qui egentibus servisque in usu erat, pane vescebatur: nempè ut Novitiis prælucere exemplo, quibus edomando gulæ virtio identidem apponitur. Moris est in Societate ad pignus aliquod fraternæ in nostros hospites caritatis, per triduum illos paulo liberaliori, quam domesticos, mensâ excipere. Vincentius tamen toto triennio, quo Provinciae res administrans, ejus collegia obibat, præter domestico-rum dimensum cetera constanter recusavit. Hisque pauculis diebus festis, quos Societas vel ut celebriores, vel ut sibi proprios etiam in triclinio pro Religiosâ paupertate colit, ipse maximâ optimaque ciborum

ciborum parte genium fraudabat, ad Sanctorum honorem quibus maximè addictus erat, quos ideo ad mensam diebus illis invitare se dicebat. Societatis Præpositis Generalibus nihil esculenti poculentive, nisi quod communiter reliquis, in mensa præbetur: par illi hoc in genere Fratrum laicorum infimus: ipse quamdiu hoc munere perfunctus est, paucioribus contentus, in cœnam, præter aliquot racemos siccios, juscumque vulgare ex meridiano reliquum, nihil omnino gustabat. Numquam non ante Cuba-
tus du-
rior alios è lecto surgebat: diuque linteis usus non est, sed sacco ex stuppei crassioris licii telâ, cui se immergebatur; nec raro super lignea tabula, aut humi cubabatur. Alias cum lectum esset subiturus, ligni fragmentis illud inspergebat, ut ne hæc quidem brevis ac necessaria quies cruciatûs expers foret. Dixisse illi viro non humanam indolem esse, molestias utique aversantem: sed aliquam aliam iis gaudentem. & sanè crux illi pro magente erat, trehebatque interdiu noctuque & pertrahebat animum ferro non absimilem.

R

Nam

Verbe-
ratio-
nes, cili-
cia, & a-
lia ejus-
modi il-
li sole-
mnia.

Nam singulis quoque noctibus hor-
rendum in modum verberabat sese, adeo
ut ad vicinos è cunctis cellæ ipsius angu-
lis ictuum crepitus perveniret. Ita factum
ut carne tundendo duratâ ac stupefactâ,
vix ullâ corporis parte dolorem è flagris
sentiret, tametsi filis æneis ferreisque in-
tertextis sanguinem exprimeret. Renes
catenulis variii generis constringebat, ad-
mixtis, ad B. Aloysii Gonzagæ imitatio-
nem, calcaribus cum rotulis acuminatis,
carnem facile pervadentibus, quas iden-
tidem ut altius infigerentur, arctius
astringebat. Cilio insuper horrido ute-
batur. Erat instar laxioris tunice, pilis
ad genua usque promissis, iisque tam
hirsutis atque asperis, ut audaculum ti-
ronem eo indutum, ceteroqui robustum,
præfidentiam brevi, & illud deponere
coegerit. Incesserat illius animum nescio
quæ cupido illud experiundi, sive ex re-
ligione benevolentiaque in Patrem suum
spiritualem (erat enim tunc tirocinii Re-
ctor) sive ut vires suas probaret. Ergo
ad illius pedes præfervide incomposite-
que se projicit: rogat de genibus, liceat
sibi ad temporis tantillum experiri ipsius
cilicium;

cilicium; moxque repellitur, ejusque petitio, ut absurdior, risu excipitur. Instat tamen: & iterum rejicitur. neque cedit aut acquiescit; alias enim nec semel & importunè rem urget, flagitat ut saltem in diem solidum usus illius sibi concedatur: grandis gratiæ loco id se habiturum. Vincentius ejus deprimendi ergò atque ab illo consilio abducendi, reponit non sat illi animi, non sat virium esse ad illud tolerandum, ne mediæ quidem horulæ spatium. Ille responsione hac magis accenditur, magisque & importuniùs obsecrat; multa pollicens, si quidem tam ardentis voti compos fiat. *Quid agat bonus Pater?* demum non tam solandi causâ, quām temeritatem illi suam præfidentiamque ostendendi, corrigendique, persuaderi sibi passus est, ut tantisper illi permitteret. Igitur adesse jubet mane cujusdam diei (festum designabat) induendo illi cilicio, ferendoque dum Novitii Missæ communi interessent; se quoque ad futurum. Porrò experturum illum non sat animi roborisque sibi esse ad sustinendum illud istâ semi-horulâ, sed consecrationis tempore desinitè, co-

R 2 gendum

gendum abjicere, onus nempe humeris
ipsius nimis grave. Quod vaticinium
eventus probavit. Siquidem cum desi-
gnato die latus induisset, & velut ovans
triumphali illo habitu templum petiisset,
perseverare, ut sibi videbatur, planè cer-
tus, ad specimen aliquod fortitudinis suæ
magistro exhibendum, brevi temeritatis
ac confidentiæ pœnas dedit. Postquam
enim aliquamdiu sibi constitisset perti-
naciùs quam fortiùs, æstimare cœpit at-
que admirari sagi illius villoſi asperitatem,
tum ferendo se imparem judicare, da-
mnare importunitatem; ad hæc animum
cum corpore inflectere; non sine pudo-
re se motitare; post motum non com-
modius habere; vix ferre cruciatum; &
velut reus quæſtionem tolerare ultrà non
valens, cogitare conducibiliùs sibi fateri
se convictum: denique non se amplius
tenere: quando opportunè consecratio-
nis tempus, discessum meditantem occu-
pat, excussoque statim ab ea pudore
omni, metuque ridendæ infirmitatis suæ,
quoniam deliquii timor hominem acriùs
urgebat; è loco ubi ante aram erat, se
prorepit, cilicum protinus exuit, sta-
tuitque

tuítque denuò tale deinceps virium sua-
rum animíque periculum non facere.
Erat hoc sagum Vincentio familiare usi-
tatúmque. Sed subinde & extra ordinem,
ac præsertim diebus solemnioribus pietá-
tique opportunis, quando animadverte-
batur impeditiùs operosiùsque incedere,
constans fuit opinio in nova tormenta
induere se solitum. Ut infirmus foret,
vix umquam adductus est, ut rhedam si-
bi ab iis qui advocarant, oblatam, ad
iter admitteret. Quin & Generalis, non
nisi bis aut tertió cā uti sustinuit, idque
pluviis diebus, ne coram Pontifice, quem
adibat, complutus ac luto obsitus appare-
ret. Dicere consueverat duo simul exigi,
ut Religioso homini rhedâ vehi liceret.
Prius ut præ debilitate pedibus nequa-
quam incedere valeat: posterius, ut ne-
gotium, cuius gratia itur, sine ipso geri
nequeat. Quid de iis sensisset, qui ne-
gotia vel ambient, vel sibi fingunt, ut in
rheda vel equo magnificè ambulent;
religiosine, an aulici? Ex quò tirocinio
est egressus, quotidie Moderatoribus
operam suam obtulit ad mensæ ministe-
rium vel culinæ: neque jam Generalis

ab eo destituit. Porrò in lavanda supelle-
ctile stanneâ, tam calidâ utebatur, vin-
cendi sui causâ, ut nemo aliis manum
illi imponere vel posset, vel auderet.
Cùm observasset Præsides, ob tibiæ pla-
gam, quæ corpus scipione sustentare il-
lum cogebat, facultatem sibi negare pro
voto mensæ inserviendi; scipionem ab-
jecit, malum ac dolorem dissimulans:
ut ratum sit valente ac robusto amore
corpus imbecille multum posse; uti
constat languente illo infirmoque, vali-
dum nihil admodum valere.

Affli-
ctatio-
nes ex-
traor-
dinariæ

Neque his tamen consuetis afflictio-
nibus contentus erat: sed extraordina-
rias avidè optabat. Duas dumtaxat re-
fero. Dissidebant inter se Andriæ Dux
ejusque conjux: item idem ipse Dux &
urbis Episcopus, nec audebat quisquam
de pace sermonem illis insinuare. Unus
Vincentius etiamtum auditor Theologiæ
satis ad hoc idoneus visus est, à virtute,
prudentiâ, authoritate. Mittitur ergo
cum Patre Gabriele Mastrilli Andriam,
rem ut pertentet: simûlque hac occasio-
ne tam Andriæ, quam in circumjacenti-
bus oppidis in salutem animarum de
Societatis

Societatis more insudet. Utrumque præstat pari dissidentium ac populi bono & approbatione. Inter cetera Molfettæ egregiam navavit operam. Dominicilium istic habebat Societas, quam Residentiam vocamus, tam tenuè, ut rerum etiam necessariarum inopia laboraret. Vincentius semper in rem suam, atque in occasionem sui edomandi intentus, aliquam hîc ex animi sententia nactus fuit, id est, secretam. Animadvertisit supellectilem culinariam illotam. Opperitur igitur concubiam noctem, aliisque altùm dormientibus furtim ac placide cellâ descendit, eâque sumptâ ad remotam fossam procedit. In eam sordes vasorum exhaustit: tum ea diligentissimè detergit, politque: ad hæc in locum quæque suum refert, ac se ad quietem in cubiculum. Noctibus aliquot bellè illi cessit pius hic dolus. Dum domesticus famulus, cuius erat vasa tergere, miratus jam aliquoties se supellectilem mane comperire adeo nitidam, auguratus id non ab alio quâm uno è Patribus accurari, Præsidem de tota re certiorem facit. Facile is intellexit factum hoc cum Vincentii genio

R. 4 congruere.

congruere. Ut igitur veritatem deprehenderet, in sequenti nocte cum Patre Gabriele in insidiis stetit. Egreditur, de more, lanceo pede Vincentius; deprehenditur: cumque nec celare se nec factum posset, pudore confusus haeret. Rogatur ecquā veniā munus alienum exerceat? Tum ipse, *Deus bone*, ait, *rem egregiam!* *Ambos fraudasse vos ultro quiete, ut eum qui exiguum hoc ministerii fecit, deprehenderetis.* Nec plura locutum pudor summittere oculos, atque in cellam illico se recipere cogit. Alterum memoratu dignum est, quod subjicio. Præterat cum imperio universæ Societati, quando uni è fratribus nostris rei familiaris administris sacrum Viaticum præbuit. Qui vix accepto subita morte extinctus est. Cum igitur maxima cum reverentia ex ore mortui Panis divinus eductus esset, viscoso tetroque salivæ fluore oblitus apparuit. Allexit ea species Vincentium ad sumendum, quæ alios deterrere nata erat. Quare nonnullis frustra se ad id offerentibus, ipse quia nox erat, in crastinum sibi servari jussit. Cumque faceret ad aram, intrepidè, singularique cum religione, illum, ut erat, glutivit.

C A P U T III.

*Vincentii mira abdicatio sui, ab-
solutumque in affectiones
animi imperium.*

EST sanè probabile virtutis specimen, Præstat pia crudelitate in corpus suum sævi- animū re. Cùm enim altera hominis pars sit quām corpus non minus animæ cara, quām arctius frēnare. conjuncta, sensuque ad dolores præmol- lis, non nisi virilis animi est Dei causâ durius illud habere. At verò cupiditates animi frangere, ac rationi subjicere Deo- que, longè præstabilius. Siquidem ut corpus animæ semper oblitetur, nec aliquando tandem obtemperet: tamen quò magis illud castigas, eo citius pœnis occallescit: & hirsutæ fetæ, inedia, vigiliae, quæ principio tam molestæ, cum tem- pore facilius feruntur, tandemque facil- limè, dolorum usu sensum adimente. Verùm affectiones animi non aliter quām virtute, neque sic umquam domueris ut vel ipsæ omnino convenienter inter se, vel rationi penitus obsequantur. Quod

R 5

verò

verò discriminis caput est, longè impatientiores sunt fræni, quàm corpus doloris: quippe naturâ indomitæ, eoque pervicaciores, quo corpore nobiliores. Quare prima laus ac cura in earum compressione ponenda est. Quod quidem haud satis notum, non vulgo dumtaxat (miraculis & corporis afflictatione sanctimoniam metiri solito) sed nec iis qui suo aliorūmque judicio virtutem egregiè collunt, carnem tamen maximè, vix animum frænare solliciti: quos equidem plebeiam virtutem (si vel hoc nomine digna est) sequi rectè dixero: istos verò priores, senatoriam ac patriciam.

Qua
etiam
victoria
nobilē
fuisse
Vincē-
tium
genera-
tum of-
fendi-
tur

Vincentius porrò ita in hoc quoque nobilissimo genere excelluit, ut omnium qui cum novêre consensu, nil in eo ad absolutam numeris omnibus sanctimoniam posset desiderari. Duobus autem præsidiis ad eam consequendam fuerat usus. Alterum generale ac sublimius, partūmque profunda rerum divinarum contemplatione: alterum peculiare longóque usu quæsitus. Etenim altè habebat hoc infixum animo, nihil uspiam esse in hac rerum univeritate dignum votis nostris,

nostris, præter Deum Opt. Max. ad quem utique cetera omnia non aliud sint, quām solis umbra ad solem. Quamobrem nihil è contrario mali nomen mereri, nisi ejusdem Dei jacturam. Quippe ut eo possesso adsunt omnia; ita perditio, quamquam cetera non defint, tamen nihil revera adesse. Ex qua veritate hanc eruit vitæ suæ normam, ut quām minimè per humanam infirmitatem licet, terrenorum bonorum cupiditate, malorumque metu se tangi sineret. Cùm enim nihil in bonis, malisve censeri debeat, quām potiri, aut carere Deo, liquere aiebat ceteris animum movendum non esse. Verùm cùm hinc pellex voluptas, inde tortor metus hominem continenter urgeant, adeo ut ab ejusmodi veritatis intuitu subinde mens avocetur, intereaque vel voluptas, vel timor clanculum subeant, subigantque animum, nimirum huic malo avertendo; jam ab exordio vitæ religiosæ dedit operam, ut affectiones illas furtim irrumgentes generosè reprimeret, easque quantumvis reluctantes servilem potius in modum quām civilem rationi subjiceret. Quocirca axioma
illud

illud in ore SS. Ignatii, Xaveriique per-
frequens, *Vince te ipsum*, effectu ipso affi-
duè probabat. Illud item alterius Reli-
giosissimi viri effatum: (*neminem virum
esse, nisi qui sibi perpetuò vim faciat; eō
que velut lydio lapide aureæ virtutis ex-
perimentum capi:*) ipse vita ac moribus
comprobans, quotidie inquirebat in se,
an & quoties sui victor fuisset, victum
ratus, si non vicisset. Atque hac arte eo
perfectionis pervenit, ut quod antehac
insinuavi, non semel à nostris quibusdam
ætate ac judicio inter homines Societa-
tis provectissimis, nationeque diversis au-
dierim, è tot variarum Europæ gentium
Sociis egregiæ virtutis sibi benè notis,
neminem perfectâ sui victoriâ, absoluto-
que in cupiditates quascunque domina-
tu Vincentio parem sibi visum esse. Et
qui compluribus annis familiariter cum
eo versati sunt, omnesque illius motus
ac morum vestigia explorata habent,
confirmarunt observatum à se Vincen-
tium variis occasionibus valdè inter se
discrepantibus penitusque improvisis,
sui semper similem, compositum animo,
modestum corpore, serenum oculis,
lingua

lingua moderatum; ut rebus seu prosperis seu improsperis sensus in eo nullus, nedum perturbatio animadverti posset. Quam mentis æquabilitatem ne adscripseris ulli prærogativæ divinitus illi concessæ, multò minus indoli stupidæ (erat enim excitatâ ac vivace) sed perpetuo illius vincendi sui studio, virtutiique multis laboribus, curaque numquam intermissa quæsitæ. Qua ratione S. Ignatius, frigidi ac phlegmatici habitûs Medico visus est, cùm tamen calidissimi esset, & supra modum ignei. Vincentius certè succensebat, amabat, timebat, optabat, sed ferè quatenus volebat; neque volebat, nisi qualiter rationi humanæ aut divinæ consentaneum censebat: idque longo usu erat consecutus, ut confuetudine naturam imitante, sine vi, primos ac subitos affectionum impetus frangeret, qui quidem animum priùs invadunt, quam sentiat se peti. Itaque quantumcumque funesti difficilesque ingruerent casus, ejus quietem animi non turbabant magis, quam maris tempestates, quantumcumque fœdæ ac sœvæ, portuum tranquillitatem. Et verò non securior uspiam

uspiam tranquilliorque portus Providentiae divinæ sinu: in quo indesinenter conquiescebat.

Sui utique & affectionum Domini etiam adversis divinæ gloriæ casibus & sibi

Quare non modò terrenis detrimenis, temporariisque infortuniis non tangebatur, sed neque illis (quod insolens etiam & maximè in viris probis) quæ cum Numinis injuria conjuncta sunt, ut cumque impietate ac fævitie inhorescerent, plus æquò movebatur. Id quod attenderent utinam, imitarique studerent plurimi , qui non tam sincero castoque divinæ gloriæ studio, quam impotente animi motu pravoque judicio, ad nuncios funestorum Ecclesiæ aut suæ Religiosæ familiæ casuum, in immodicos dolores questusque se effundunt, idque etiam sibi ducunt laudi. Nam ad injurias Deo quidem factas vehementer affici, fundique in lacrimas, etiam Sanctorum est (quoniam ejusmodi dolor fœtus est amoris vehementis, quo ei optimè volunt) at inquietari propterea ac turbari, minimè; quia ut hinc Ecclesiæ mala, sic ex adverso intuentur, ac velut in divinæ providentiae libro, æternum decretum legunt ita statuētis Numinis , à quo nihil

nihil nisi rectè, sancteque potest consti-
tui. Quam providentiam Vincentius pro-
ponebat iis, quos conscelerorum homi-
num pravitas ac pertinacia justo amplius
affligit, addebatque hoc sapientissimum
S. P. Ignatii præceptum, Societatis ope-
ris frequenter inculcatum, ut Angelorum
pacatissimas curas imitarentur, ita nimi-
rum animarum sibi creditarum saluti in-
cumbentium, ut si se fructu sperato
frustrari animadvertant, nullatenus ta-
men conturbentur: non enim nesciunt
quamlibet sanctum divinæ gloriæ salu-
tisque hominum studium, sanctissimæ
ipsius Dei voluntati posthabendum esse.
Quod judicium cùm penitus animo infi-
xisset, quidquid obtingeret; Angelum
interiore exterioraque pace atque animi
æquitate spirare dixisses. Et verò cùm
rogaretur identidem tantæ tranquillitatis
causam, digito in cœlum intento respon-
debat, *Qui nititur immobili, cum non
moveri:* ostendens se sursum in volunta-
te divina fixisse pacis suæ anchoram: ibi-
que feliciter continenterque quiescere,
quò casus humanæ vitæ, licet divinæ glo-
riæ maximè aduersi, nullam turbationem
dolorémve

dolorémve invehunt. Quare non mirum
si nec propriis malis vehementius com-
moveretur, licet alienis longè feriant
fortius. Qui enim aliud nihil agebat,
quam ut ageret, omitteturve quod Deo
complacitum esset agi aut omitti, omni-
bus ac singulis eventis æquè contentus
erat: his verbis firmare animum suetus.
Volo quod habeo, quia habeo quod volo.

*eius do-
minii
exépla*

Etsi autem virtus hæc, quod ad intel-
ligentiam voluntatemque propriè perti-
neat, nec sub sensum nostrum cadit, nec
speciem habet tam illustrem, quam ex
quæ foras prodeunt, propriumque exe-
runt decus, subitis tamen infaustisque
casibus tamquam pullata, splendorem
suum, tamquam ignem è silice evibrat,
eò jucundiorem, quò suaviorem. Quare
visum est nonnulla ejus exépla paucis hîc
attexere. Erat Nostris Neapoli lis aliqua
cum viro nobili de tirocinii ejusdem ur-
bis jure in domum quampiam & hortum.
Rectorem ibi tunc agebat Vincentius,
cùm foras euntem ardens ille iracundiâ,
ex insidiis aggreditur, abrupteque mille
in eum contumelias cum minis jaçat:
dejeratque parum abesse, quin è vestigio
in

in ipso eas expleat. Placidè hominem audit Pater, nec verbum interjicit furioso, nec signum ullum molestiæ, nedum motûs turbulentioris: expectatque, dum omnem evomuerit iram. Tum sedatâ voce, animoque ad humilitatem modestiāmque planè composito pauca loquitur de causæ suæ æquitate, non sine benevolentiæ observantiæque in ipsum suæ testificatione. Nec plura! alter ab altero discedit. At modestia illa demissioque Vincentii altè in animum viri illius nobilis descenderat, pudore illum complens ac pœnitudine. Quare ubi primùm resedit iracundiæ æstus, ad Vincentium adiens insolentiæ suæ veniam demissè flagitavit. Tantum valet etiam in exæstuantes impotentésque sui animos, ipsius animi moderatio! Æque pacatè excepit aliàs mulierculæ procacissima in se verba, atrocésque injurias. Inspiciebat Tropæanum Collegium ipse Provincialis, quando non obtentâ honestissimis licet conditionibus obseratione fenestræ (unde qualibet horâ fœminæ viris religiosis se ostendere, & quidquid domi nostræ agebatur conspicere poterant) ad Judicis

S autho-

authoritatem remedii causâ confugere coactus est. Conveniunt circa locum controversum rogati Gubernator urbis, civicusque Consul, aliisque è Magistratu, ut certius rem decidant. Ut eos advertit illa, simûlque Vincentium, exerto per eam fenestram capite, cœpit illum tot lacerare contumeliis, quot jactare potest lingua mulieris furiis agitatæ. Audiit & illam Vincentius animo vultûque imper- turbato: nec ullum nisi commiserationis indicium prodidit: nempè ob mentem ardenter iracundia infelici illi creptam. Non raro contigit, ut terrestribus mari- timisque itineribus, nautæ vectorésque (gens ut plurimùm inconsulta ac præ- ceps) eum in aperta mortis pericula con- jicerent. ipse tamen sive durantibus, sive superatis illis non modò non est con- questus, sed nec eos verbo ullo cautionis in posterum admonuit. E mulionibus quidam eum jumento viario maximis vi- tiis laboranti imposuit. sensit ea plus nimio Vincentius: sed omnino tacuit. at seipsum satis indicavit petulcum animal. Namque nactus in viâ turbidæ ac ceno- fæ aquæ plusculum, in eam se prostravit, voluta-

volutavítque, mirum ut foret Patri non esse fractas allisū tibias. Sed enim cùm de subter jumento expediisset fese, madénsque & luto inquinatus è fossâ emerget, nihil inepto illi opprobravit, nihil questus est. Quin etiam contrà, in eo pulchello habitu ridebat scipsum, simûlque mira illa mentis æquabilitate risum ac lætitiam insuetam procul dubio Superis ciebat. Alius quispiam eâdem ex gente eum in gravius discrimen adduxit. Cùm enim ut brevius iter faceret, per clivum montis interrupti, ad usque crepidinem præcipitii eum duxisset; unde propter angustias avertere se mulus nequibat, ut evaderet: & hunc primò sisti, & Vincentium deinde ex ejus tergo manu tolli, & mulum ipsum denique averso gradu extrahi oportuit, ne in illam voraginem rueret. Et tamen neque in his deprehensus angustiis, neque ereptus optimus Pater, quidquam in malesanum illum ducem obimurmuravit, nec ullum commotionis ac molestiæ indicium dedit. Quemadmodum nec aliàs alia in pericula deductus, seu submersionis, dum flumina torrentesque transñeandi, seu

S 2 alterius

alterius generis lethi, quando natum est,
ut etiam sanctissimi viri, tantillum saltem
ac tantisper commoveantur, partim mor-
tis præsentissimæ horrore, partim indi-
gnatione in muliones illos inhumanos,
quibus subinde pluris est jumenti sui vi-
ta, quam hominis. Adeo ut quod su-
periùs insinuavi, & fidem propè excedit,
primos quoque naturæ impetus in pote-
state habere videretur.

Etiā
cūm ef-
set Ge-
neralis

Ad extremum addo, ne tum quidem
cūm Societatis gubernacula teneret, vel
defuisse illi demonstrandæ ejusmodi tran-
quillitatis occasiones, vel animum. Ho-
norum adventu mores mutari, & raro in
melius, verum juxta ac vetus adagium
est: at immobili Deo innixus, ut ex Vin-
centio priùs diximus, levi hujusmodi fa-
vonii flatu succuti nequit; tantum abest,
ut deturbetur. Quidam Societatis trans-
fuga in asylum se receperat. Inde librum
adversus Societatem scripsit atque in lu-
cem edidit: nempè ut se de genere vipe-
rarum esse ostenderet, matrem necan-
tium, dum subeunt lucem. Et quia id
responsi timebat, quod ejus liber calum-
niis fartus, jámque à sacra Indicis Con-
gregatione

gregatione damnatus ac prohibitus me-
rebatur , litteras acres mordacesque ad
Vincentium dedit , quibus etiam minita-
batur effecturum se , ut si is permitteret ,
quemquam è Societate librum vulgare ,
quo vel ipse vel ipsius familia ullatenus
læderetur , haud dubiè Vincentium &
Societatem facti vehementer pœniteret .
Reponsorum enim se cum fœnore , quid-
quid injuriæ acciperet : utique rescriptu-
rum , quæ Vincentii ac Societatis autho-
ritatem penitus labefactarent . Ita publi-
cus famæ alienæ prædo suam illibatam
esse vult . satis innocens , si non audiat
nocens ! Sed Superum votorumque con-
temptor , scilicet homini noxam creare
nihil habet pensi . Vincentius tamen de
more summissè sapienterque ei respon-
dit : & quod spectabat ad minas injurias-
que hæc ei reposuit . *Alterum caput est* , „
ut ne permittam tibi objici quidquam , „
ex quo aliqua in te familiamque tuam „
redundet infamia . Hic per velim repu- „
tes tecum ipse , cùm ferre nequeas fami- „
liæ tuæ splendorem vel minimum obscu- „
rari ; me non minus molestè ferre fami- „
liæ nostræ , id est Societatis , nomen ali- „

„cujus calamo violari. Nihilominus non
 „est mihi animus reddere malum pro
 „malo, sed vincere in bono malum: satis
 „gnaro laudabilius esse, hoc Christi con-
 „filium sequi: qualiscumque ex maledi-
 „centia cuiusquam contemptus nostri pro-
 „ficiisci queat. Verumtamen pro comper-
 „to habe me de minis tuis nil laborare, seu
 „contra me eas jactes, seu contra gravif-
 „simos Societatis Patres. Et sanè quod ad
 „me attinet, ex hoc tempore tibi, si quam
 „in me injuriam cufurus, es, ignosco. Quin
 „etiam gratias tibi à me habendas agnosco,
 „si culpam aliquam hactenus mihi inco-
 „gnitam aperueris. Ita respondit illi optimus
 Generalis, lenius profectò quàm insolens & impius mereretur, sed non quàm
 Deus, cui mansuetudo totam se devovit.

C A P U T I V .

*Vincentii mira demissio animi
suiq; contemptus.*Perpe-
tuus.

Si consilium mihi esset omne illud
 hīc perscribere, quod ad ejus de-
 missiōnē animi, suique in omni genere
 despicientiam spectat, profectò tota ipsius
 vita

vita ab ipsa propè ineunte pueritia per-
texenda hîc foret: tota utique ad nor-
mam Christianæ humilitatis planè exa-
cta. Siquidem etiamtum cum domesti-
cis pompis, sæculique asseclis immissus
ageret, semper animo alienus ab iis erat,
magisque modestiam sancti adolescentis,
quàm principis familiæ splendorem præ-
se ferebat. Quippe vel tunc attritis ve-
stibus ac rejectaneis delectabatur: fratres
observabat ut dominos: famulis familia-
riter utebatur ut fratribus: libentiùs cum
egentibus versabatur, quàm cum nobili-
bus; in valetudinariis, quàm in aulâ: nihil
denique magis ambiebat, quàm infimam
Immaculatæ Deiparæ servitutem servire
in humilibus facelli ejus Andriensis mi-
nisteriis, & Christo JESU in pauperum
famulatu. Prorsus ut certum sit eum in
aula non aulæ sed cœli auram hausisse, &
in sæculo tamquam pisces extra aquam
vixisse. Quare religiosam deinceps fa-
miliam, id est, scholam summisionis in-
gressus, tam studiosè in hac se exercuit,
ut si Præsides ardentibus ejus desideriis
precibusque non semel iteratis obsequi
voluissent, in fratrum laïcorum ordinem

se redegisset. Neque hoc humilitatis studium deferbuit umquam postea: sed in dies magis magisque accensum est. Et enim cum se Religiosum, id est, Christi discipulum, æternique Regis servum membrisset, illius doctrinam exemplumque perenni cura sibi sequendum proposuit. Et primùm quidem ex S. Parentis nostri sententia statuit, si par Dei gloria ex honore atque ex contemptu efflorescere poneretur, hunc potius quam illum amplecti, ut ad bonum JESUM similitudine morum proprius accederet. Deinde perspecto eundem Redemptorem, vita Theandricæ cursum abs humillimo genere nascendi exorsum, per continua probra prosecutum, non nisi in probrofissima cruce latronum medium finisse, scilicet numquam ab ejus vestigiis sibi discedendum constituit. Itaque seu velut in plano ambularet Philosophiæ Theologiæque auditor, seu per magisterii tum humaniorum disciplinarum, tum philosophiarum gradus ascenderet, seu prævehernetur ad Præfecturas Societatis, semper Christi suique similis in sui demissione contemptuque acquiescebat. Usque adeo,

adeo, ut cùm in Generalis dignitate inter omnes emineret, etiam hac de causa ut ne emineret, illigatosque illi dignitati honores pati cogeretur, quia eos vitare aliter non poterat, emori desideraret. Raro juxta excellentiique humilitatis exemplo. Constat enim sublimem dignitatis gradum Christianæ demissioni lubricum esse, facilèque virtuti, aliàs stabili, fluere inter honores vestigia.

Sed juvat ordine quodam procedere, ac primùm abjectissimam illius de se opinionem, in qua prima laus humilitatis sita est, partim ex ejus commentariis, partim ex dictis factisve erutam sub oculos ponere. compertum est in sacra illius ephemeride, tria illum sibi in imo corde struxisse cubicula, in quæ se identidem reciperebat. Primum sui nihili: quod patrimonium suum censebat; id enim solum ad se propriè pertinere, quippe sibi avitum, totaque post æternitate, ut tota retro fuit, futurum, nî Deus illum condendo, esse illi dedisset. Alterum erat verecundiæ: in eo enim peccata sua repuerat, quæ nihilo eum efficiunt detiorem. Tertium desperationis, ubi S 5 visebatur

ex tri-
bus cel-
lis edu-
ctus.

visebatur ipsi orcus æternaque à Deo separatio. Atque in his cubiculis discebat, cur se quandoque nihilum carne vellatum; alias non modò maximum omnium peccatorem vocaret, Francisci Seraphici exemplo: sed simpliciter peccatum, quasi omnis expers virtutis & boni, nihil prorsus nisi peccatum esset. Deinde hinc fiebat, ut id quoque esset illi solenne dicere, ipsum quidem Religiosum esse, atque adeo cruci simul cum Christo suffixum: at suam, non aliam quam perdit crucem latronis: cui latroni vicinitas Redemptoris confixi, sanè ipsius culpâ, non saluti sed funestiori exitio fuit. Huc quoque pertinet, quod curarit sibi super papyro depingi Luciferi imaginem flammis circumdati, habitu ac Luciferi specie jam absorpturi animam: quam prædam suam interpretabatur. Quare eam oculis suis objectans, intimè percellebatur, ratus rudi istâ picturâ adumbrari infelicem sortem, quam erat commeritus. Quibus ex animi penitissimis sensis præter sui horrorem altè animo conceptum, conficiebat ipse secum quantoscumque cruciatus sibi vel à se vel ab aliis illatos inferendosve

dósve, meritis suis immenso inferiores esse. Contra verò genus omne obser-
 vantiæ honorisve, quocumque seu no-
 bilitatis, seu doctrinæ, seu virtutis respe-
 ctu sibi delatum, minimè ferendum. Et
 re verissimâ colere illum, offendere erat:
 quo factum, ut multi hujusmodi offensæ
 metu debitum ejus meritis honorem,
 ægrè licet, prætermitterent. Ad hæc
 nisi Deo visum fuisset (quò sanctimoniam
 illius specimen aliquod daret) motibus
 eum intimis atque efficacibus quandoque
 impellere ad patranda quædam naturam
 viribus majora; numquam, opinor, per-
 suasum ei esset, ut pro alienis seu corporis
 seu animam necessitatibus levandis, preces
 funderet: has enim nulli usui, vel etiam
 fraudi potius quam adjumento futuras
 haud dubiè credidisset. Convenerat in-
 ter illum & alios quosdam, ut alteri pro
 alteris Deo supplicarent; & has quisque
 pendebat cum spe non modici quæstus.
 At ipse adeo nihil ex se sperandum cre-
 debat, ut diceret numquam in se illud
 pacti consensurum fuisse, si non amicum
 ac favens, sed legitimum onerosumque
 esset. Alioqui enim ex parte sua iniquum
 fore,

Dignū
omni-
bus
pœnis

preces
suis in-
utiles
aut no-
xias
crede-
bat.

fore, quod cum multum ab aliis recipere, ipse nihil traderet. Alias Sacerdote quodam ad ejus pedes accidente cum humili prece, ut super gutturis sui apostemate signum crucis efformaret, Vincentius cum horrore ab eo se proripuit: socioque ex commiseratione ægri, amicè quærenti, cur eum sic repulisset, quem tam facile posset solari; causam ex merissima animi sententia reddidit, quod ex ejus contactu metueret irregularitatem: ex eo enim eventurum, propter suam indignitatem improbitatemque, ut malum ingravesceret. Etsi autem prodigia ejus nonnulla vilissimum illud ejus de scipso judicium manifestò refellerent, attamen non carebat arte vim & evidentiā illam omnem elidendi, seque rufsum nihilo suo involvendi. Enimvero prodigia illa, si quæ essent, non sibi ul latenus, sed Deo planè tribuenda, licet per se fierent. Hunc namque tamquam principalem causam, ipso uti tamquam exili vilissimoque instrumento, quod corroborare habet, atque ad opus, cui omnino impar sit, adigere. Ex quo profectò non plus laudis sibi accedere posse, quam a fini

asini mandibulæ, ex mille Philisthæorum à Sampfone cæforum nece, cui perpetranda utcumque usui fuit. Quare quemadmodum risu indignatione mixto dignam se exhiberet putens illa, ineptissimaque ad opus mandibula, si heroicum Sampsonis factum, imò nec Sampsonis, sed insilientis in eum Spiritūs divini, cui nec par nec secundum ullōve modo conferendum umquam sol iste vidit, tamquam suum jactaret: ita & ipse, si sibi prodigium ullum adscribat. Atque ideo fortasse non leonis, non ursi, aut equi (quæ animantes suapte naturâ bellicosæ sunt) grande aliquod os Sampsoni occurrisse, sed timidissimi omnium pigerrimique asini; ut hujusmodi majorum naturâ operum, unius Numinis virtuti tota laus tribueretur. Ita Vincentius sapienter & acutè. Neque verò humilitate & simplicitate quidquam est ad sui demissionem, Deique commendationem ingeniosius aut eloquentius.

Ceterùm ex tam abjecta sui existimatione triplex ducebat bonum ad salutem humilitatémque stabiendam commodum. Primùm quòd ex impotentia quidpiam

Ejus
fructus
triplex

piam per se conficiendi, imò & afficiendi, seu grande seu exiguum, plus causæ esse censeret, cur gratias ageret Deo: utique quia hæc vitæ conditio superbiæ contraria sit, paritéque amica humilitati. Quippe sic facilius refricari egestatis nostræ memoriam, simul necessitudinem opis divinæ animo magis infigi; & quidquid evenit boni naturæ aut gratiæ utilis, proniùs tamquam stipem è Domini Dei manu accipi. Alterum situm erat in ingenti ipsius pudore expendentis iniquitatem suam. Cùm enim nihil in sese compere posset boni, cur sibi faveret, aut cur ullo modo benè vellet, sed potiùs maiorum omne genus, cur pessimè, vehementer ipsum pudebat, numquam pro eo ac merebatur, semet vexasse. Tertium in præclara de aliis opinione, atque adeo corundem veneratione. Quantulum enim cumque boni in eis occurreret, non esse omnino nihil, quod in se merum deprehenderat: ac propterea se despiciatu, illos honore ac laude dignos esse. Ex quibus id quoque efficiebatur, ut se minimo tironi rerum Asceticarum scientia (in qua potissimè excellebat propter maximam

maximam vim superni luminis) posthabendum duceret: & si quando suspicabatur operam suam benè cessuram , illius fructum omnem, etiam ante opus, velut anticipata solutione alteri reddendum profiteretur. Ita Sacerdoti è Nostris Philosophiæ magistro , qui eum directorem exercitiorum suorum ambierat , primæ meditationis materiam suggesturus, hanc cautionem præmisit , se quidem hominem ineptum ex ipsius voto accedere ad tradendas illi spiritûs exercitationes ; sed quemadmodum Navarrus docet, Confidentis scientiâ, Confessarii ignorantiam posse suppleri: ita sperare quidquid sibi deesset ad id muneris rectè obeundum , ipsius peritiâ cumulatè esse supplendum.

Fieri non poterat, quin tanta animi ejus demissio foras prodiret. Et sanè quilibet ex iis qui Vincentio convixeré, testatur ab inita Societate usque ad mortem captasse illum omnes sui abjiciendi occasiones, ne levem quidem ullam prætermisſe. Imprimis vestes , calceos , aliaque ejusmodi utenda non admittebat, nisi jam vetera , detrita, rejectanea. usque eò , ut jam Generali haud levis
opera

Exte-
rior
Vincen-
tii de-
missio.

In ami-

etū

operæ fuerit persuadere, ut par recentium calceorum indueret. In eoque culmine longè breviorem aliis togam ferre consueverat. Imò Provincialis sedulò cavebat, ne frater laicus itinerum suorum comes longiusculâ togâ uteatur; eamque uni subsecari jussit, partim regulæ ut pareret, partim ne quid inde qualis qualis honoris ad se derivari posset. Fuit cùm domesticus sartor præbitâ illi pro more breviori togâ cum joco objiceret, per eam brevitatem decessurum illi apud nobiles Equites aliquid auctoritatis; reposuit ipse, eo sibi fore gratiorrem; hoc enim ipsum se studere. Sed numquam magis aberrat humilitas, quācūm fugit honores, quos vitarc, incurtere est.

In am-
bitu fa-
mularis
operæ,

Jam in itineribus, quæ lustrandæ Provinciæ Neapolitanæ faciebat, sociis suis famulum propè se præstabat: itaque condire se dicebat tedium dignitatis, & imperii in comites ac fratres, quibus subiectum esse dulcissimum foret. Etiam Provincialis quandoque operam navabat coquo, tegebátque hoc submissionis genus velo charitatis: sic enim futurum, ut hospitibus

hospitibus improvisò appulsis in tempore pararentur escæ. Cùm Domui Probatonis præpositus esset, non modò non sinebat tironem, si quando cùm aliquo incederet, ex reverentia pone sequi: sed & ad ejus lèvam interdum ibat, tumque avidè plateas inibat honoratis hominibus frequentiores. Quo minus in eo mirandum, etsi per se admirabile, consuesse illum cum Sacerdotibus cujusvis gradus atque ordinis de loci humilitate contendere, neque fere destitisse, dum sibi infimum vindicasset. Quod si eorum aliquis primas in transitu admittere recusaret, ipse in genua provolutus perstebat, obtestans, donec evinceret. Quondam cum Sacerdote domo egressurus, ut sibi à dextrâ incederet, pro more suo contendit: at ille præfatus præter fas & decorum fore, si Magistro Novitiorum, Rectori Collegii Neapolitani, Præposito Domus Professæ, ac denum Provinciali se præponeret (hos enim magistratus omnes gesserat) omnino recusavit. Contrà Vincentius. *Quid hoc, ait, An verd' Societatis præfecturæ sacramenta sunt.* *Ex iis quidem, quæ non delebilem impri-*

Loci in-
terioris.

T

munt

munt characterem? Quo lepore vinci se
passus est alter: quando hunc ejusmodi
victoriæ percupidum noverat. Non sic
P. Evangelista de Gattis, vir germanâ
insignique virtute, atque adeo egregia
demissione. Res in speciem levis est, sed
exempli non repudiandi. Quondam cùm
ambo foras ire haberent, quemadmo-
dum alter alterum colebat, ita primas
alter alteri deferebat. Renuit hic, ab-
nuit ille; denique sancta illa lis sat diu
tenuit. Intervenit fortè utriusque Mo-
derator, eoque spectaculo tantisper se
oblectavit. An litem diremerit, haud
scio. Certe quidem gavisus oblatam sibi
occasionem cùm exercendi virtutem
utriusque, tūm alios humilitatem docen-
di, vesperi ejusdem diei, utriusque con-
tentioñem pari utriusque pœna pensavit.
Jussit enim ambos in parvâ, ut loquimur,
mensâ, loco scilicet ab aliis separato, in
medio triclinii cœnare, palamque inter-
ea prædicari eorum culpam, quod nimio
demissionis studio, simplicitatis religiosæ
limites essent prætergressi. Quam pœ-
nam pro tali culpâ cum hilarè suscep-
fent, cæterorum oculos animosque ju-
cundissimè paverunt.

Licet

Licet in dignitatis gradu locatus, cœmentariis ad plateam excitantibus murum, velut eorum aliquis manuariam operam commodabat, seu lapidibus, seu calce, seu aliis substructioni necessariis rebus comportandis: eoque famulatu nobiles viros claritudinis ejus meritiq[ue] non ignaros, ad lacrimas usque sancti gaudii testes excitabat. Quot diebus sabbatinis templum apertis januis capite nudato verrebat: imò & nostrorum, quando commodè poterat, cellas: quin & stabulum: efferebatq[ue] singulari cum alacritate fordes suis ipse manibus. ut non lubentiū monilia gemmatasq[ue] bullas virgo nubilis gestaret. Socium insuper se addebat domesticis famulis, dum ferenda essent domūs ligna, quæ partim eorum humeris imponebat, partim suis portabat. Quod si negotiorum causâ per urbem ambulanti obvius fieret bajulus, qui quod gestabat onus humeris magis aptari, aut deponi ad aliquantum quietis, aut depositum reponi cuperet, illicò ad subsidium accurrebat Vincentius, etiam in compitis ac foro, proq[ue] virili vir tantus, bajuli in morem commodabat

T 2 manum.

manum. Puerum aliquando flentem in
 viâ offendit, quòd jumentum suum sub
 onere prostratum non valeret erigere.
 Illicque substitit; jumentumque mox
 alacriter crexit, erecto onus reposuit,
 puerumque cum illo usque eo comitatus
 est, dum onus, cui ferendo impar erat,
 atque ideo lapsum iterum iterumque
 minabatur, ad conditum locum detu-
 lisset. Sed & ipse asinum præ se egit per
 urbem Neapolim, terram, simum, alias-
 que fordes, & ejectitas ædium quisqui-
 lias impigrè ac generosè colligens. Insu-
 per in valetudinario nostrorum fœtidissi-
 ma quæque vasa ægrorum, quæ sine
 nausea cerni nequibant, tergebat. Quam
 operam cùm alii sibi sumere vellent,
 aiebat sibi, ad eam dumtaxat idoneo, per-
 mittendam esse. Quò graveolentia de-
 formitasque despicabiliores reddebat
 pauperes quos fratrum loco habuisse
 observavimus, eò familiariùs proniusque
 cùm eis agebat: adeo ut usitatâ in eum
 querimonia nobilium Equitum hæc esset,
 mendicabula illi multis partibus, quam
 se cariora videri. Et verò animadversum
 est concionem sacram audituro in more
 positum,

ac for-
 didio-
 ris.

positum, ut cupidè se illis immiseret, quām frequentissimè licebat; lectumque ab eo sacrum exomologeseos tribunal, minimè omnium commodum, ut locupletibus propterea illud vitantibus, ab egenis frequentaretur. Contra quām heu! permulti, qui cùm paupertatem voto professi sint, pauperes aversantur: cùm sedeant in tribunali gratiæ, communis omnium Redemptoris, difficiles egenis, faciles se ditibus præbent: sanguinis Christi iniqui dispensatores, & vestium potius ac corporum, quām animarum judices.

Nec exiguum demissionis specimen est honores aversari, iisque se subtrahere, quando integrum est; aliàs vel delatos assignare socio, vel cum eo communicare, cumque hæc omnia non succedunt, tristitiâ pudoreque affici. Atqui Vincentii non aliud hoc in genere institutum erat, quando Magnates (quod perrarum erat) aut primarios viros, obedientiæ, aut grati benevolique animi lege cogebatur invisere. Ita vocatus ad ægros è nobilium Equitum Sodalitio vel solandos in valetudine, vel ad mortem

In ho-
noris
fuga ab
externis
defere-
di.

T 3 Christianè

Christianè obeundam præparandos, Sa-
cerdotem ætate ac virtute proiectum,
quoad ejus fieri poterat, comitem adsci-
fcebatur, ut quicumque haberetur honor
à domesticis, eum socio ad solatum suum
posset ascribere. Rogatusque, ut fit, no-
men, nec janitori, nec circumpedum
ulli, nec cubicularibus ministris indicare
volet; cavens, ne, qui adibatur, de
illius adventu certior factus, peculiarem
illius respectum haberet. Hærebat itaque
humiliter in aliquo exterioris conclave
angulo, dum ad audientiam ab iis quo-
rum intererat, evocaretur. Et contigit
subinde ut ad binas ternasve horas illis
moraretur, etiam in parentum ædibus:
quin & remitteretur non auditus, atque
à servis rusticè parumque humaniter ex-
cipetur. Porro ejusmodi admissio o-
mnium gratissima accidebat illi; nec du-
biū quin ejus fruendæ gratiâ longius
iter suscepisset. Vedit illum aliquando
Senator Mediolanensis pro magni Prin-
cipes aula, imo, ut solebat, loco præsto-
lantem, dum intromitteretur. Intermica-
bat autem in ejus compositione corporis,
humilitas ac modestia tanta, ut attentiū

cum

cum contemplatus, ut erat vir cordatus
ac prudens, excellenti virtute ac religio-
ne hominem judicarit. Quæ opinio ve-
hementer confirmata est, cognito Socie-
tatis Generalem esse : tamque suavem
sensem observantiæ ac benevolentia in
Vincentium ejus animo impressit, ut
constituerit non discedere Româ nego-
tiis confectis, quin priùs & Patrem salu-
taret, & faustam ejus precationem obti-
neret. Ceterum Vincentius non Nostro-
rum magis, quam externorum honores
ferebat. tantum enim aberat, ut extra-
ordinaria reverentiæ ac venerationis si-
gna sibi ab iis exhiberi pateretur, ut
etiam vulgaria vitaret. Multo minus si-
nebat curâ impensaque singulari ægrum
se curari : quin ipse aliorum labor ejus
causâ suscepitus in valetudine sua gravior
illi erat. Itaque consueverat dicere sibi
in optatis esse tactum de cœlo confestim
emori, ut molestiâ curationis sibi ægro
impendendæ, seque & alios liberaret.
Intererat aliquando unius è nostris se-
pulturæ in Domo Professâ Romanâ : cùm
cryptam introspiciens, capulum advertit
ab aliis secretum. scitatusque quis in eo

Et à
Nostris

T 4 situs

situs esset, cùm simul audisset ipsum, quando mori contingeret, parem manere sepulchri honorem. *Quem honorem?* retulit; *Enim vero Patris illius infastam sibi videri sortem, quod ita velut religiosa divinorum communione exclusus, seorsim a fratribus sepultus esset. Sibi profecto non posse plus deferri honoris, quam in fratribus suis post mortem, ut prius in vita, iungatur.* Quo referri potest illius de more condendorum contra tabem Principum opinio. videri enim aiebat adversari communi illi Numinis decreto, *Pulvis es, & in pulverem revertaris.* Se quidem illi libenter pariturum: nec dubitare quin animus corpore solutus, hoc in pulverem redacto, ad morem Numini gerendum, magnopere sit gavisurus. Ita vir huncillimus insitâ quadam facilitate, in iis potissimum, quæ illum deprimere poterant, divinæ legi obsequebatur.

Etiam prodigiosa.
Ad extremum in coronidem hujus capit is rem admirabilem commemoro, quam Vincentianæ demissionis miraculum possis appellare. Princeps mulier Neapolitana expressam è vivo ejus imaginem cupiebat. Antonius Riccius pictor negotium

negotium suscipit. Captat ergo ansam ejus expediendæ, dum ille audiendis ad sacrum tribunal reis dat operam: noctusque locum, unde illum videat à fronte, penicillum dicit, quām potest latentissimè. Sed suspicax est honoris humilitas: brevi Vincentium dolus advertit. Quare faciem manu ac strophiolo contegit: itaque pergit confitentibus aures dare. Pictor elusum se videns; cùm oculis circumiectis alium locum benè commodum observasset, simulat se templo egredi. Interea abdit se in facellum è regione tribunalis Vincentii, ubi quòd Patris oculos lateret, opus commodè conficit. Ita revertitur domum non tam lucro condito latus, quām quod sanctum virum, ut aiebat, pinxit. Imaginem armario includit, prius perpurgatam, ejusque clavem retinet penes se, credo, ne in humidam adhuc tabellam quispiam rei ignarus aliquid incuteret. Postridiè manè armarium referat, eam resumpturus; sed ecce præter pileum ac vestem cetera evanuere. Faciei vestigium nullum, nullum linementum, color reliquus est nullus: Pigmentum omne detersum erat, ut si

T 5 prius

prius minimè fuisset illitum. Facilè intellexit Riccius artem omnem suam humilitatis arte ac potentia vietam esse. Sed tamen amicam apud Vincentium querimoniam deponere, litémque ipsomet judece contra illum intendere statuit. Adit ergo, & subridens objicit deberi sibi ab illo ducatos senos ob deletam ejus operâ effigiem, pro quâ pingendâ de hoc pretio cum Principe ista convenerat. Tumque rem totam ordine illi percenset. Ad hæc ille leniter subridens, reparandum à se damnum omne respondit. Quod & abundè præsttit, ejus arte usus ad concinnandam Sodalitii nobilium Equitum aulam: unde Riccius non parum fecit compendii. Insuper ei dependens, quod meruerat, velut in auctarium monuit, imposterum majorem à Deo gratiam inire studeret: parum enim vitæ illi superesse. cōque sciscitante quantum: id verò in manu divina esse respondit, sufficere quod affirmasset. Et ratum fuit vaticinium. Siquidem pictor posteaquam, quod reliquum fuit vitæ, picturam suam cum prodigo deletam, simul & mortem sibi à Vincentio prænuntiatam multis

VINCENTII CARAFÆ. Lib. II. 299.
multis retulit , ipsomet vaticinii anno
decessit .

C A P U T V.

*Contemptus terrenorum , & a-
moris parentum abdicatio.*

PAradoxum profero : Ambitionis hu- illius
manæ abjectæ sunt cogitationes , & sensa de
serpentia humi desideria : contrà, humi- felicita-
litatis excelsa indoles est. Illa inanem te hu-
mana,
excellentiæ umbram sectatur, atque adeo
veram abjectionem : hæc vanitatem vo-
tis suis indignam rata, adspirat ad veram
celitudinem , atque adeo ad cælestem
atque æternam. Faciem eunti præfert
æterna veritas , cuius in luce ne appetet
quidem terrenæ splendor amplitudinis :
cumque melius non esse cognoscatur ,
quam esse , scilicet nullo loco , nullo
pretio est. Hac divina luce perfusus Vin-
centius de felicitate humanâ scitè solitus
erat dicere, imaginem esse, quæ si ad ra-
dios humanæ innataeque notitiæ specte-
tur , speciem habet elegantem & dulcè
ridentem : at verò in pleno lumine
æternæ

æternæ veritatis confusum quid & maculosum esse , proptereaque perspicaci- bus oculis horrendum , ac generosis ani- mis aspernabile . Causam adjungebat , quod inter cœli terræque bonâ non alia sit habitudo quam temporaria inter & æterna , exiguum & immensum , vel po- tius inter nihilum & totum . Quamob- rem assuefactis gloriæ Numinis ac Bea- torum contemplandæ , nihil prouius , quam despicere id omne , quod fortu- nam in terris vocant , ac beatitatem . Nempe venia quidem dignas esse talpas , quæ , quod naturâ cæcæ sint , nec solis ac stellarum pulchritudinem , elemento- rūmque opes ac varietatem , ullatenus unquam percepérunt , credunt tenebris nihil esse melius , aut cibilibus suis ma- gniscentius , aut terrâ radicibusque sua- vius . sed homines veri capaces sic ama- re terrena , ut cœlestia præ illis spernant , eorūmque jure ac spe aliquando possi- dendorum se abdicent , id omnino nullo modo à se capi posse . Cùm varios mun- di casus , cùm prælia , victorias , munitio- nes captas , regna bello parta , connubia principum , & alia aurium oblectamenta ,

cum

VINCENTII CARAFÆ. Lib. II. 301

cum ardore ac strepitu, ut fit, vulgari audiret, *Heu!* exclamabat, *mundi oculos quād parum Evangelii lumen ferit, quando adeo tenebris obsitus est!* solum illud lumen nobis patefacit, quam discrepet verum à falso bono, cui sola boni species inest, aut potius umbra. Tum revocabat in memoriam sapientis rerum spiritu-^{sæculū,}
^{ludus}
^{latrun-}
^{culturū.}lium Magistri effatum: hominum vitam & id quod sæculum vocamus, ludum esse latrunculorum: in quo quidem super alveolo plures latrunculi procedunt, hic pedetentim, ille saltuatim: est qui recta, est qui ex transverso. sed unicuique idem consilium est alterum intercipiendi, vincendique. Verum sola mors de singulis & universis triumphat: latrunculosque sigillatim ex alveo tollit, injicitque fasculo, ubi nulla postmodum equitum, peditumve, imò nec Regum diversitas. Et verò dic age, valēsne pauperum & divitum, plebeiorum & nobilium, rusticorum & litteratorum, servorum & Principum ossa inter se distinguere.

Audito non paucos Præsules ad Pur-
puram evectos esse: unde Romæ magna
festivitas existeret: *Equidem nolle*, ait,
*Cōtem-
ptus au-
līcē ma-
gnificē-
tiæ
vivere,*

vivere, at mori purpuratus, nempe proprio cruento (sic enim intelligebat) asserendæ Christi fidei profuso: pergénsque, si quidem purpura Seraphini vestis esset, igneáve togâ animos amore divino inflammare efficax; tum verò ardenter eam mihi efflagitarem: sed cùm in illa nihil omnino, nisi splendorem quemdam, & ardentem gloriæ fumum deprehendam, malo nudus, quām purpuratus ingredi. Aliàs nuntio de promotione Religiosi ad Cardinalis dignitatem, Neapolim perlatò, interrogatus quid acturus esset si galerus illi offerretur, Respondit non defesse sibi exempla Gregorii, aliorūmque ad insequentium fugam honorum, in cavernas se abdientium. Quod si latebræ ipsum non defenderent, purpuram & galerum se admissurum: at non priùs, quām ex oraculo didicisset, vehementiori in Deum amore arsurum se in purpura, quām in gradu Religiosi privati ac subjecti. Offendit aliquando Neapoli non mediocrem Nobilium turbam, famulorum & asseclarum multitudine strepitúque viam impletentem: tum ad socium, En, ait, quantum strepitum edit agmē formicarum!

enim-

enim vero si uno altero ve ab urbe lapide
omnem illam catervam cerneret, nonne ti-
bi singuli bestiolis illis haud impares ap-
parerent? quid si ergo è summo cæli cul-
mine, præ quo tellus nil nisi punctulum?
Iter facturus longius, quam pedes con-
ficere posset, asinum inscendebat clitel-
lis instratum, adstrictumque capistro,
perque loca, ubi frequens nobilitas am-
bulabat, lentè procedens, scilicet de
mundi vanitate nobilem triumphum age-
bat. Quam haud multo post secutus est
P. Ignatius de Guevara, idem qui antè
initam Societatem, Dux Boviniensis, &
ipse asino vehens, aliásque in despicien-
tiâ mundi, Vincentii discipulus & imita-
tor egregius. Certa erat ingredi Reli-
giosum claustrum Princeps femina, sed
priùs Vincentium consulere super animæ
rebus desiderabat. Ut ergo hic ejus pre-
cibus ficeret satis, asinum sibi, equum
Novitio Sacerdoti comiti in iter ad Pie-
trambiancam ubi agebat illa, apparari
curaverat. Sed antequam discederet,
Dux de Saraceno alloquendus illi erat.
Dum simul conferunt, quidam è Patri-
bus Vincentii personæ minus consenta-
ncium,

neum, ut opinor, existimans, tam vile ju-
mentum (nec enim humilitatis decorum
cuique probari potest) exemplò cali-
déque ad nobilem virum Ducis vicinium
adiens, rogit equum Vincentio iter fa-
cturo commodet. Arripuit ille mox oc-
casionem ei gratificandi, cui vitam pe-
riculo ereptam se debere testabatur. Nec
mora, equum suum optimè domitum sta-
bulo educi jubet: ephippium ex hetero-
mallo crancino, opere phrygionico
concinnatum auróque grave, ei infert,
traditque Vincentio adducendum. Ad-
ducitur: utque facilius vir sanctus ad in-
fidendum pertrahi se sinat, asinus occul-
tatur. Intereâ ab Duce reverso offert Pa-
ter equum, uti diximus, phaleratum,
additque ab ejus domino, ut insidiat
preces. ille qui non pedibus modò, sed
& genibus iter moliri, quām adeo magni-
ficè equitare maluisset, ut primùm vidit,
equum & phaleras respuit; Patrem redar-
guit, asinum reposcit, conscendit, jusso-
que tirone præcedere, in asino lentè se-
quitur, non per solitarias plateas, quo fa-
cile detorqueri poterat iter, si ita per-
misisset, sed rectâ ante palatii Regii fores,

ubi

ubi tum Prorex cum conjugé, tum selecta nobilium manus, tum civium principes hilaritatis publicæ spectaculo intererant; opportunum ipse nec minus grande Christianæ demissionis contemptusque mundi spectaculum.

Castellæ Admiralius, idémque Neapolitani Regni pro Rege Gubernator, natæ ex filio suo filiæ lustricum patrem non alium quām Vincentium esse voluit, misitque quem primum habebat à sacra-
rio, ut eum de totâ re certiore factum suo nomine adoptaret. venit ille domum nostram, atque ut prærogativam offerebat, cuivis alteri permagni æstimandam, legationem suam magnificis verbis, gratulationisque plenis ornavit. At Vincen-
tius his nuntiis perturbatus est, podo-
réisque mœrore mixtum haud dubiis si-
gnis ostendit. Nec enim ingratiorum molestiorumque nuntium ad se posse perferri. Quippe id honoris à vitæ gene-
re quod profitebatur, penitus alienum, nec verò à se admittendum, nisi præciso Praesidum imperio adigatur. Sed cum hi Proregis pietati potius, quām Vincentii demissioni acquiescendum censuissent,

Et do-
lor de
honore
sibi de-
lato

in Baptismi istius initiis , lustralis patris
partes agere coactus est. Unde cùm do-
mum redisset, illicò in secretiorem cel-
lulam se recepit, ibiisque reliquum diei
delitescens , publico prorsus abstinuit.
Compertus tandem est clausis fenestrīs
cum Deo dolenter agens de sorte sibi
adeo luctuosâ: Rogatusque, quid faceret
hisce in tenebris, *Discutio*, ait, è mente
mea curiæ istius imaginem omnem: quam
quoties vir religiosus adiit, toties per octo
dies abdere se ad spiritus exercitationem
deberet. Inde in cubiculum reversus,
clausis itidem fenestrīs, ac foribus, Deum
precari perrexit. Admiranti deinde Sa-
cerdoti tam inusitatum hoc in genere
animi illius sensum, amorēmque solitu-
dinis, sic occurrit , *Dominus JESUS*
in stabulo natus, in fabrili officina vixit,
tandémque ad tantam inopiam redactus
est, ut dominus ei deesset. hic igitur non li-
benter habitet in animo, cui mundi splen-
dor in pretio d^r amore sit. Quamobrem
quanta maxima possum cura omnem mun-
di memoriam ex animo deleo. Sic ipse.
Quam præceptionem utinam alii, quos
Magnatum consuetudo plus æquo dele-
stat,

Etat, æquè ac ipse observarent. Sæpè enim dum ex aulâ domum reverteret, de Beatorum gloria tanto cum animi æstu disputabat, & non ex aula terrestri, sed cælesti revertere videretur. Utique viris cælestibus domus omnis cælum est.

Ut curiæ auram velut noxiā homini Etiā à suis quos sancto odio prosequitur religioso semper fugit: ita maximè parentum affiniūmve palatia. noverat enim horum præsertim commercio transfundi in animos religiosorum morbum tamquam epilepticum, id est, illorum aula frequentata, facilè hos præcepites ire in statum deteriorem. Dux de Medina de las Torres, idémque Neapolitanus Prorex ob excellentem de Vincentii sibi propinqui sanctimonia prudentiāque opinionem, hunc sibi quotidie adesse cupiebat, sive ad rerum salutis suæ procurationem, sive ad consiliorum ejus fructum. At ille his ipsis de causis tanto diligenter longiusve aulam ejus vitabat. Imò cùm Prorex ejusque conjux Collegium adirent, celebritatis alicujus nostræ co honestandæ gratiâ, ipse ne tum eos salutare cogeretur, aut honoris aliquid sibi de more ab iis deferendum pati, ad opus

V 2 charitatis

charitatis quod de industria in id tempore distulerat, domo exibat. Quare eo Duce in Hispaniam revocato, sic exultavit, quasi servitute exisset. Jam quod attinet ad ceteram nativi in cognatos amoris abdicationem, dum in Societatem primum, ut aiunt, pedem intulit, ut mundum, sic & eum potissimum amorem omnino à se repulit. Ita enim se deinde habuit, quasi si numquam extra religiosa septa vixisset. Tantique fecit servitutis Deo redditæ dignitatem, ut vile postea duceret, filium Ducis se recordari. Ubi primum Societati cum imperio præpositus fuit, gratulans ei quipiam dixit, id à se duplici nomine officioque præstari. Prius ob suam in ipsum singularem benevolentiam: posterius, quod id honori verteret Gentis Carafæ, cuius se addictissimum servum profitebatur. Respondit Vincentius, quod quidem ad ipsius in se benevolentiam spectaret, eam à se fieri magni, gratesque quam maximas haberi pro illâ, agique; quod autem ad familiam Carafæam, se jam à duabus & quadraginta annis in familiam Dei transcriptum, Carafæi generis esse

esse desiisse: neque verò ullam consanguinitatem, aut familiam in sæculo suam agnoscere. Hac de causâ expetiit, imo & à Moderatoribus petiit copiam multandi cognominis, & quia negabatur, illud mutilavit, inscribens se non Carafam, sed Cafam. Quæ pia fraus ingeniosæ ad se deprimendum humilitatis, feli-citer aliquamdiu illi successit, donec Moderatores, intellecto id non compendi causâ aut scriptio[n]is vitio, sed studio Gentis occultandæ fieri, hujusmodi contractionibus multationib[us]ve cognominiis uti vetuerunt. Ædituis nostris quando eum in templum ad exomologesim sororis excipiendam evocabant, sic admonentibus, *Reverentia vestra vocatur à Domina Principe, sorore suā*, sancte succensebat: increpitánsque incassum præmitti & Dominæ & Principis nomina, solum sororis à se satis intelligi ob-jiciebat. Sic autem & hanc piissimam feminam oblitus erat (etsi illo conscientiæ suæ rectore uteretur) ut ejus nomen rogatus à Patre Balthasare Porticellâ Neapoli in Philippinas Insulas cogitanti, cui se illa obnixissimè commendaverat,

V 3 numquam,

numquam, utcumque memoriam excuteret, edere valuerit. Quemdam è nepotibus suis docuit, si ex eo quæreretur quis esset, respondere *pauperem esse Christi*. Ita eo nomine vir sanctus multo magis, quam augustis titulis alii, lætabatur. Haud scio an ille ipse nepos Vincentii sit, cuius pueri rectam indolem, cereamque ad virtutem flecti, animadvertis quidam è Nostris, dixit videri sibi ad Institutum religiosum esse natum: quando Vincentius subjecit sibi sanè in votis esse, ut in numerum Laicorum Societatis Fratrum olim accenseatur: hunc enim statum sibi olim flagitasse. Cùm necesse esset illum ad aliquem è suis scribere, subinde extremam minutam papyri partem paucis exarabat, ut eum pauperem Christi famulum potius, quam consanguineum agnoscerent. Numquam autem citra necessitatem scripsit, quam non aliter interpretabatur, quam si salutis eorum ratio id postularet. Alias nec suorum veniebat illi in mentem, neque de iis magis loquebatur, quam si nec ipse, nec ipsi fuissent in vivis. multo minus temporariis eorum commodis inserviebat;

bat; nec enim dedisset cujusvis precibus quantiscumque vocem unicam, commendandæ Proregi, aut Præsidi Consilii, eorumdem causæ; tametsi hanc oppidò promovere potuisset. Quin etiam præsuorum adversariis adversus ipsos potenter apud Judices institit. Et accidit aliquando, ut genus hoc officii exercenti objiceret aliquis suam postulationem in detrimentum vertere cuidam ipsi sanguine arctissimè nexo. Ad quem ipse nubilâ ac severâ fronte conversus, *Quid refert? reposuit, Justitiae studium nonne præhabere debet amori consanguineorum?*

Sed opum ac commodorum jactura Floccifacilior est quām vitæ parentum. Neque pendēs eorum vitam præ Dei honore
 ramen hæc ipsa fortissimum in naturæ afflictiones Vincentii animum movere potuit. Nam Duce, nepote suo, in discrimine mortis deprehenso, obtinere à se non potuit, ut aliud ipsi à Deo, quām mortem peteret: si quidem is præsciret, se deinde à superstite vel unicâ lethali noxâ offensum iri. Quā de re hanc in sententiam scripsit ad quemdam è Societate.
Hodie mane nuntium accepi de morbo Ducis. Et Antonius Carafa mihi significat

V 4 febrim

febrim esse malignam, nonnullaque iam nunc apparere delirii vestigia. Inde eius negotiorum Gestor litteris à cursore mihi traditis addit à medicis depositum. Si iam Deus eum evocet, destinationis eiusdem ad aeternā gloriam, non dubium indicium est; atque hac de causa, sic Deum sum precatus. Si malitia mutatura est intellectum eius, assumatur. Ita Vincentius. Et Dux quidem diem obiit suum, cum sensis animi dictisque ejusmodi quae admirationem etiam in homine religioso ciere possint: vulgoque inter adstantes morituro ferebatur, Vincentium Patruum, dignum Sancto homine exitum ei obtinuisse. Et profectò etiam in curia cælesti nepotem esse gratosi apud Regem, felicitatis augurium est.

Cùm Apuliæ Collegia inspiceret pro consortiu, suo Præpositi Provincialis munere, non nisi ægrè sibi persuaderi sinebat, ut Andriam aut Minervinum, urbes, quarum altera nepotis, altera sororis erat, vel obiter ad amicam salutationem adiret. Et nisi super eorum in Societatem merita mos antecessoribus fuisset illos instruendam Provinciam invisendi, missos fecisset.

Et consortiu, nisi piu devitās.

fecisset. Ceterūm cùm Andriam petret, ne noctem quidem unicam istic morari volebat, neque aquæ cyathum libare. Quondam contigit, ut Ducissa Lanoya, ejus consanguinea, & Ducissa Carafa nepis, magnam diei partem colloquiis spiritualibus eum distinerent, sic ut Ortam, qui locus hospitio destinatus erat, cù suo cōmo-
do eodem die pervenire esset perdifficile. Etiamtum tamen discedere omnino voluit, tametsi periculum foret mediis in agris pernoctandi. Et verò sero dumtaxat vespere Canosam advénit, ubi vix miserum tugurium, quo tegeretur, & parem loco cœnulam, quâ utcumque refocillaretur invenit. Sed hujusmodi dama Vincentii virtuti pro lucro erant.

Aliàs quidem Andriæ, quò Præsidum nisi ad voluntate, Ducis, ejus fratri desiderio re illos obsequentium, missus erat, diutius commoratus est: at pulcherrimo sanè exemplo visitaturis posthac consanguineos, relicto. Studiis dabat operam Neapolim: inde pedes & stipem in itinere mendicans Andriam petiit. Ubi primùm urbem attigit, prima illi cura primam omnium salutandi Reginam Cœli, in

V 5 ejus

quando ejus ad mœnia civitatis facello, à se, dum
pulchrū Andriæ degeret, sæpè sæpiùs frequenta-
edit ex- to: quod tamen jam inde à pluribus an-
emplū nis non viderat. Diu istic hæsit: nec
avelli poterat; demum instantे precibus
Duce inde se eripiens, in palatium venit.
Postero mane voluit mendicando urbem
obire; sed manticæ deerant. ergo, ut
ejus humilitati fieret satis, duæ consutæ
sunt, ipsi altera, altera socio. Illâ instru-
ctus complures horas corrogandæ stipi-
impendit, eámque totam mox detulit ab-
custodiam. Quod officium quot dein-
ceps diebus eodem matutino tempore
continuavit. Neque panem tantummo-
dò, sed & ligna mendicavit, iisque tot
collectis quot erat ferendo, humeros
onerans, pauperes quibus distribueret,
conquirebat. Adultâ die verbâ faciebat
ad concionem sponte ad eum visendum
convenientem, mediis in plateis: sugge-
stum scilicet præbente saxo altiusculo,
è quo suavis ejus aspectus, orator egre-
gius, vel tacente ipso omnes moveret.
Alias eodem tempore pueros variis locis
à se accitos Christianâ catechesi instrue-
bat. Neque animorum pabulum eis
suppedi-

suppeditare contentus , ternis hebdomadæ diebus ter centum egentes pascerebat, Fratre quidquid optatet largè subministrante. Adeo ut ejusdem sumptibus orphanotrophiū puellis pauperibus fundarit, simul in alimoniam corporum, simul in castitatis præsidium. Denique tot modis , támque multorum necessitates levavit, ut non alio consilio, quàm ut pauperum patrem se exhiberet, Andriam venisse videretur. Neque tamen familiæ fratris curam accidit tam multiplex in pauperes charitas. Domi omnis ejus sermo de Deo, déque divinis , sive quia de aliis loqui nesciebat , sive quia totam domum notitia & amore Dei cumulare avebat. Si quis ex fratris aulâ aut etiam ex urbe , alicujus vitii suspectus esset , imò si quis eum conveniret , impensè obsecrabat, ut pro ejus in se amore animalium noxis expiatum , SS. Eucharistiâ reficeret. Postremo toto quo Andriæ commoratus est mense, ita vixit, ut cùm in publicum prodibat, confluenter cives ad pascendos ejus conspectu oculos, eumque commonstrantes inter se dicerent:
En Sanctum, En Sanctum: Ita vera sanctimonia

monia præconio non eget: ipsum ejus silentium magnifica vox est, & pulchritudo admirationis illicium.

C A P U T VI.

Accurata ejus observatio votorum Religiosorum.

Pauper-
tatis re-
ligiosæ
studiū
genera-
sium

PAUPERTAS religiosa, si ex animo colatur, non exilis animi virtus est. namque commodis sponte se fraudare, & contrà incommoda non leniter solùm, sed & jucundè hilaritérque suscipere ac perferre, id verò supra vulgus hominum est. Erit autem etiam supra fidem, si ex heroïco singularique Numinis amore asperneris quidquid Deus non est; indignum utique arbitratus, ut cum Deo summo bono vile nescio quod boni simulachrum in partem amoris tui à te vocetur, quasi si Deus toto dignus non esset. Hac excelsa mente prædictus Vincentius solebat dicere, si totum terrarum Orbem haberet in manibus, totum ipsi ad pedes casurum, hoc dumtaxat pronunciato, *Mi Deus.* ut indicaret ad Numinis

minis recordationem res omnes conditæ, ut prorsus despicabiles, imo loco, imò nullo apud se esse. Neque tantum alienissimus erat ab omni corporis commoditate: sed necessariis etiam destitutum, esse eoque redactum ex charitate Dei, quo mendicabula ex necessitate, unicè eum delectabat. Unde gratum identidem certamen existebat, hinc paupertatis Vincentii, illinc providæ charitatis Præsidum. Hi enim cognito, seu sanum seu ægrum plus aggredi ac sustinere, quam natutæ vires non incommodè ferre possent, pro munericis sui ratione, quæ usui essent, ipsi providere studabant: ille ex adverso delicias reputans, atque respuens, quidquid merissima necessitas non postulabat, quantis poterat precibus, collectisve undique argumētis, paupertatis suæ causam agebat. Quamquam autem ejus studii exempla non nisi in exiguis rebus suppetunt (quoniam majoribus semel penitus exuto non nisi leviora abdicanda restabant) tamen neque hæc prætermittenda duxi, sive quia licet in tenui est labor, at tenuis non gloria vel in hoc vincere scipsum, sive quia,

quia, quod necessitatis speciem habet,
grande semper apparat, ut & nobis
nosipſi.

Particu-
latim in
amicitu
ac men-
ſa

Imprimis huc quoque pertinet, quod
pro mundi contemptu de laceris ejus ve-
ſtibus dixi: pro quibus novas, licet è vili
materia, illi offerre, erat querere repul-
ſam. Sola obedientiæ ratio, ut tritas di-
mitteret, evincebat, latus alioqui, dum
longo uſu attrituque in lacinias decessiſ-
ſent: tumque veteres veteribus, at minus
laceris, magisque decentibus mutabat.
Inſtitere aliqui aliquando ut thoracem
ex vili ac paupertino panno indueret;
ſed quia novus, ideo ut pretiosior juſto
viſus illi, & illicò repudiatus eſt. Cūque
Pater Minister adigere illum vellet:
Succine, ait, me amas, ut in purgantes
pœnas præcipitem dare velis? Si mei te
miseret, cur non potius laboras, ut al-
terius vitæ flammis, quam buius frigori
ſubtrahas? Quando hyems ingruebat, et ſi
per ſe rigeret gelu, ut alias diximus, nihil
tamen algori arcendo petebat: non mo-
dò, quod tempeſtas frigida ſatis pro eo
loqui, ſed maximè quod ejusmodi peti-
tio videretur eſſe pauperis egeſtatem

non

non sponte, vel certè ægriùs quàm jucundiùs ferentis. Erant illius strophiola vetera, laceráque, & ipse met ea pauperum ritu lavabat. Denique amictu utebatur ejusmodi, ut Patres Oratorii Neapoli non raro illius mentionem domi cum insigni approbatione facerent: & si quis ex iis attributa sibi veste minus contentum se præberet, Præfectus rerum spiritualium sedando illius animo Carafæ exemplum proponens, identidem innueret non esse querulum illum Carafā præstabiliorē, qui tantus genere, doctrinâ, prudentiâ, virtute cùm sit, tamen mendiculi instar amictus incedat. Neque verò alio quàm mendicabuli sensu, dum stipem exspectat non ad suum sed ad largientis arbitrium, communi nostrorum mensæ accumbebat. Ut enim non queritur ille detenui stipe, ac mensâ (si fortè aliquâ excipitur) sed quidquid donatur, cum gratiarum actione accipit: ita Vincentius. Propterea etsi quādoque esculenta insulsa insipidáque ei apposita essent, ne nutu quidem significabat; imò nec micâ salis condiebat, partim quòd à patientia melius illi condimentum erat, partim quòd mendicum.

mendicum se meminerat; cui profecto alienæ mensæ assidenti non sit tanta præfidentia. Ita si fortè per ministrorum oblivionem illi non præberetur quod præbitum esset communiter omnibus, neminem monebat: usque adeo, ut etiam Generali solam frigidam gustare contigerit, per non vulgarem præfecti triclinio oblivionem vinum illi apponendi: ita credo, providente Deo, ut maiorem ejus sitim ac desiderium incommodorum, aptius aquâ expleret.

In su-
pelle-
atile.

Tota porrò cubiculi ejus supellex, lectus erat tam angustus, ut in eo se invertere sine lapsûs periculo vix posset. Scamnum item sine dorsi fulciméto: unica ac nuda imago papyracea, pauxillum librorum ex veterimis, ac maximè neglectis. Cùmque Tostati commentariis valdè egeret, numquam eos admittere sustinuit, utpote cariores, quàm se pauperem deceret. Imò ne sua quidem Philosophiæ ac Theologiæ scripta, sua propriè esse volebat, quæ ut aliis usui essent, nitido politóque charactere exarari curaverat. Tulerat aliquamdiu super pectora Christi pendentis è cruce sigillum, materia

materiâ juxta figurâque vile; sed secum reputans, sat pauperi fore, si in corde gestaret, & eo se spoliavit. Quotannis inter exercitia spiritualia sedulò excutiebat cubiculi res omnes: & si quam compireret non omnino sibi necessariam, ea se protinus abdicabat. Quamquam difficile erat ullam deprehendere; cùm ne amicorum quidem dona ex Indiis à se missa hærere in manibus, nedum in cubiculo sineret, de talibus dicere solitus, *ad nihilum valere ultra, nisi ut mittantur foras.* Cùm Rectorem tirocinii ageret, res etiam quibus carere non poterat, ne quid amoris proprii iis adhæresceret, cum aliis ejusdem generis mutabant. Quocirca quando de more Societatis, novitii reculas omnes suas (ut globulos, codicesque precatorios ac spirituales, imagines, cilicia, flagra) ad exundum illarum amorem in medio ponunt, sortitò recipiendas, suas ipse, quatenus licebat (cilicum enim illius ac flagrum tironum imbecillitati non congruebant) aliis immiscebatur. Neque vero supremæ in Societate dignitatis accessione, quidquam de studio illo paupertatis decessit:

verùm eò emicuit magis , quò plura
tantam celsitudinem ceteroqui decentia,
contemnere ac respuere potuit. Erant
in anteriori Generalis cubiculo nonnullæ
tabulæ pictæ pereleganter , solo ejus, qui
Mutio Vitellesco donaverat respectu
istic relictæ; Vincentius hoc respectu jam
liber , inde sublatas sacrario inferri vo-
luit. Abstulit etiam è suo conclavi de-
cessorum Generalium imagines , ne ad
ornatum potiùs, quàm ad religionem ibi
pendere viderentur. Quin & illinc effer-
ri jussit pictæ à S. Lucâ imaginis S. Mariæ
Majoris piissimum exemplar B. Borgiæ
curâ expressum, quo tum antecessores,
tum ipse ad pluteum precarium usus erat
ciendæ pietati. Unde minimè mirum
est ejusdem jussu coriaceas sellas indi-
dem asportatas: quamvis excipiendis de-
centiùs externis ad Generalem adeunti-
bus factæ & necessariæ videbantur: cen-
sebat enim non dedecere Præsidem Re-
ligiosum, atque adeo pauperem, sedibus
ligneis & inornatis pauperem in modum
adeuntes accipere. Nec enim decorum
cuique, quod magnificum: & nitida pau-
pertas statui consentanea per se ipsa
splendet:

splendet: apparatu extraneo obscuratur. Denique nullum vestigium opulentiae, imò nec ejus umbram admisit, qui & libros aliquot è Generalis bibliothecâ, quòd margine aurato essent, eliminandos curavit, permutans cum leviùs concinnatis; atramentoque induxit lineas aureas, breviario suo illitas: & extrema paupertatis religiosæ sectatus est in supellecstile necessaria, qui diurnale, licet veterimum, adeoque dissolutum; ut propter plurium annorum usum & attritum folia defluerent, cum novo mutari noluit, sed denuo ac simpliciter compingi: ita quidem ut ardenter amorem paupertatis tegeret velo commoditatis. Et verò virtuti commodum est, quidquid è genio illius est.

Neque in ceteris rebus mirius, quām <sup>In cœ-
teris</sup> in supellecstile amor ille constituit. Hymali tempestate ut oleo parceret, orationi ac speculationi vacabat in tenebris. Et quando memoriæ causâ aliquid annotandum erat, in epistolæ dorso aut papyri fragmento annotabat. Ad manus ante missam faciendam abluendas, non sapone, ut istic moris est, sed fæcibus

aquâ mixtis utebatur, saponem delicias,
& quidem nimis caras arbitratus. Num-
quam, et si aliis præfetus, passus est cel-
lam suam à quoquam alio verri , quod
censeret dedecere pauperem fratribus,
ut famulis uti ad privatam commodita-
tem, contrà quām nonnulli, quos etiam
extra præfecturam non necessitas, atque
imbecillitas , sed vana nescio quæ ambi-
tio authoritatis, non sine aliorum offen-
sione, ad id ministerii sibi procurandum
allicit. Et quoniam aliqui captata oppor-
tunitate ejus è domo egressūs , illius cu-
biculum ex religione clanculum verre-
bant, ipse re cognita ut ab eo officio eos
averteret, furtim pár pari reddebat. Imò
etiā ultro, neque provocatus ullo benefi-
cio officiōve, omnium servū se præstabat;
& cùm studiis operam daret , socrorum
lectos reconcinnabat, calceos purgabat,
& dum clam licebat, etiam vestes. Si
quis comite opus haberet ad egredien-
dum domo , quolibet tempore atque oc-
casione paratus aderat Vincentius, omni-
eo, quod erat in manibus protinus abje-
cto. Quippe eò latus de more fidelium
Deo servorum quod non suus, sed com-
muniter

muniter omnium servus esset: usque
ad eo ut si fratum aliquis ei occurreret
lignis aliave re onustus, quantocius ei
levando manum offerret, partemque
oneris humeris suis imponeret. Si vero
precibus obtinere nequibat, ut iis vilissi-
mo quoque in munere famularetur, ut
in valetudinario aut culinâ, clanculum
illud expediebat. Summâ studebat vitam
vivere pauperis, quotidianâ stipe victum
comparantis, & hanc quidem omnium
usui devovere. ejusmodi autem vitam
faciebat tanti, ut admisso à se (dum Pro-
vincialis erat) primo ex omnibus, dome-
stico servo in Fratrem laicum, eo tan-
quam primogenito sancte gloriaretur.

Jam quod attinet ad castitatis, quod est Vincen-
alterum religiosi Instituti votum, rem tii casti-
monia
summatim complexus fuero, si dicam
Vincentium non minus virginem mor-
tuum esse, quam natum. Et haec una
eademque omnium, qui cum novere,
vox est, quam ratio vitae illius omnis
abundè confirmat. Illud enim singularis
ejus in Immaculatam MARIAM amor,
illud unica in rebus divinis voluptas, ar-
cta item ac perpetua cum Deo necessi-

X3 tudo,

tudo, terrenorum sensum hebetare potens, nec non solitudinis studium, & sedula sui custodia, juncta piæ in corpus sævitiae, denique angelica modestia, quæ tot in aliis desideria peperit; quæ nitoris animi, quæ vitæ religiosæ, locupletiùs omni testimonio comprobant. Ceterum numquam feminas adibat officii causâ, licet Principes ac consanguineas, easque sibi in plateis obviaturas, cujuscumque forent conditionis, declinabat: pestem ex earum vicinia metuere dixisse. Et licet ætate jam proiecta, adeo tamen demissis humi oculis ingrediebatur, ut frequenter à comite de salute honestis reddenda esset monendus. Adde illum, etiam foris, & in compitis cum ageret, ambularé tve, domi ac secum egisse, memorem Numinis ubique præsentis. Quam tuendæ castimoniæ rationem vehementer probabat. nam qui secum minimè habitet, facilè ad exteriora dispergi dissipari que: contrà autem menti bene occupatæ frustra proponi libidinis illicium. Et qui Dei conscientiam veneretur, modesteque innocentérque in oculis hominum se gerere. Porro ex illius

illius nitore ipso vultu emicante cùm alia varia, tum hæc nominatim manabant. Primum ciebat ille non mediocrem adversus Vincentium reverentiam. Siquidem ut benignissimè haberet peccata sua ritè confitentes, tamen qui se turpibus inquinaverant, ad eum exomologeseos ergò accedere verebantur, ne horum narratione alienissimum illius ab omni turpitudine animum affligerent. Alterum hoc utilius indidem existebat, ut qui importunius vehementiusque ad impuram libidinem sollicitabantur præsens in ejus aspectu remedium invenirent, vel etiam in recordatione.

Præterea res ipsæ, quæ illius contactu velut consecratæ fuerant, simul vim contraxerant genium impunitatis fugandi.

Adeo odor castimoniæ Vincentianæ, stygio illi lenoni gravis est! Certè illius chirographum hanc virtutem certò prodidit. & fuere qui testarentur appositâ super corde voluptatis pruriru concitato togæ Vincentii laciniâ, simul nefandos refedisse motus, simul fœdas imagines subitò discussas esse. Virgo verè religiosa, atque adeo corpore pariter animoqué purissima,

purissima, biduum integrum assiduâ vehementiâ libidinis titillatione percita, nec inducias noctu, nec quietem interdiu sentiebat ullam. Interea jejunio acri, frequentiâ flagellatione, aspero cilicio corpusculum afflictans, easque duas noctes in sellâ transigens, in suspiria lacrimasque effundebatur. Sed hæc omnia frustra. gliscebat quinimo malum, & hostis in horas fortior evadebat. Sed tamen præsto erat, at clandestinò, ut assolet, Virginum Sponsus, cuius demum instinctu recordata penes se habere Vincentii chirographum, continuò arripit, excitatâque in eum fiduciâ pectori apponit; Deum precatur ut Sancti Patris meritis sibi misellæ adsit tandem, & hoste devicto restituat pacem. neque mora est. vix finita prece, extinguitur illecebrosus ignis, evanescunt imagines turpes, quieti castissima virgo redditur, & ab ipsa grates assertori secundùm Deum Vincentio. Nec dispar fuit cuiusdam Sacerdotis curatio in simili morbo. vexabatur etiam hic, & gravius quidem quam illa, fortiusque intestinis naturæ rebellis præliis, continentes dies noctesque castimoniam

Sacer-
doti.

stimoniam infestantis, & nî Superi ad-
essent, propè ad gentis ad dditionem.
Quid consilii? veterem Vincentii ami-
ctum induit, simûlque natura Venereis
armis exuitur, oppugnare omnino cessat,
& ipse liber exultat. Admirabilior etiam, Juveni
efficaciorque fuit contactus epistolæ Vin- impu-
centii, cordi juvenis moribundi admotæ.
rissimæ
Jacebat ille lethali morbo correptus, non
corporis magis quam animæ. quippe in-
fano etiamtum mulierculæ amore irre-
titus, quicum haetenus impura consuetu-
do. Monitus de mortis periculo ac tem-
pore noxas confessione expiandi, aliud
non respondebat, quam velle se ami-
cam suam sibi in cubile deferri; hanç
esse corculum suum, ejus desiderium se
minimè ferre amplius posse. Neque ve-
ro vis morbi, aut orta hinc phrenesis,
aliave quam amoris insania verba hæc
exprimebat: ut appareret nihil homini
perditio pensi esse æternum perire, modò
quam deperibat, amplexari posset. Jám-
que de illius salute desperabant domesti-
ci, cùm venit in mentem opis unius è
Patribus nostris implorandæ. Venit ille
advocatus properè, sed & properè domū

redit, comperto non esse opis, aut artis
sux tam difficilem, animi pestem aman-
tis, curationem, potentiusque accersen-
dum sibi remedium. Ergo arrepta do-
mi epistolâ Vincentii, recurrit ad ægrum,
eāmque ejus pectori admovet. mirum
dictu! Subitò & inopinatò cœpit ille alia
omnia, quām haētenus fecerat, cogitare
ac loqui. Confessione flagitia eluit, quip-
pe tanto cum doloris sensu exposita, ut
in singultus ac lacrimas totus abiret; cen-
sueritque Pater moderandum illum (ne
fortè in diffidentiam descisceret) propo-
sita reo certissima Numinis promissione
omnibus ignoscendi, qui crimina ritè,
& cum pœnitudine agnoscerent. Qua-
propter illa Vincentii epistola fortuna-
tum à Deo nuncium salutis hujus per-
diti juvenis attulisse videri potest.

Eiusdē
obediē-
ta præ-
stantia,
primum
quod
Deum
in Præ-
sidibus
agnos-
ceret

Superest mihi de obedientia dicen-
dum, quam tanti faciebat Vincentius,
ut affirmaret legum Præsidumque Socie-
tatis observantiam & sanctitatem, diver-
sa quidem esse nomina, sed rem eamdem.
Propterea ut erat hujus perquām studio-
fus, ita numquam eum quisquam vidit
ab ipso Societatis ingressu, ad finem
usque

usque vitæ, id est, spatio quadraginta
quinque annorum, vitium ullum, etiam
leve contra obedientiam admittere.
Cujus tantæ virtutis triplex caput depre-
hendo. Primùm, Deum ipsum intuebatur
in Præsidibus. quocirca etiam postquam
primariis Societatis muneribus perfun-
ctus erat, etiam Provincialatu, et si Mo-
deratores suos ætate ceterisque condi-
tionibus præcelleret, cum singulari sub-
missione reverentiaque coram illis com-
parebat: non modò eos affabatur. Cùm
verò æris campani sonum aliquo vocan-
tis audiret, ex templo quasi Numinis au-
disset vocem in aëre formatam, abjectis
omnibus eò se conferebat, vel verbum
intersecans, si cum alio fabularetur: us-
que adeo ut tironum nemini, quantum-
vis parendi studioso, quidquam conce-
deret. Quo quidem tempore ad Deum
conversus, quasi præsentem sentiret,
Vado, Domine, inquietabat. Erat quondam
sub tonsoris manibus, quando campanæ
sonus tempus antemeridiani examinis in-
dicavit. Continuò, licet tum aliis Præ-
fectus ea se lege, ut & alium quemlibet,
id temporis rectè eximere posset, vetus
fratrem

fratrem in opere progredi, amisitque
in proximam cellam examen institu-
rum; ipse autem, ut erat linteo tonsorio
involutus, semirarus, sapone illitus in ge-
nua procubuit legi ut pareret. Cumque
peracto ritè examine rediret frater ille
tonsor, Vincentium inflamatâ facie
comperit, quasi è fornace proximè egre-
sum. Et sane sacer ille ardor è fornace
amoris haustus erat: credo, in merce-
de m'purpuramque promptæ obedientiæ.
Neque in legitimis dumtaxat Præsidibus
Deum spectavit Præsidem, sed in iis
etiam, qui vix umbram authoritatis in
ipsum erant sortiti. Inscripterat nomen
albo cuiusdam secreti cœtus (confrater-
nitatem vocant) super alia pietatis ope-
ra, insigni studio fructuque damnatos
ad mortem reos parantis. Rogatus, ut
stato die exhortationem ad Sodales ha-
berer, præ demissione animi indignum
se judicans qui homines tantæ virtutis
hortaretur à quibus ipse excitandus esset,
obtinere à se non potuit ut acquiesce-
ret. Ratus itaque eam provinciam man-
dandum alteri, indicta cœtui luce & ipse
adfuit. At Præfectus Sodalitio Vincentio
animad-

animadverso ex improviso innuit, cathedram ut ascendat, deque rebus divinis differat. Nec ipse cunctatus, e vestigio, licet nihil minus expectasset, nullo non modo alienæ voluntatis, sed nec admirationis indicio (quod sanè rarissimum est inopinatis hujusmodi casibus) ad Sodales dicit, quæ Deus suggerit, quasi pluribus ante diebus meditatus esset. Illustrius quoque est quod illi contigit cum gentili suo Tiberio Carafa, Principe Bissignæ & Scyllæ, viro non virtute minus, quam stirpe nobili, qui unus satis docuit, à non ignobilibus animis cum aulico vitæ genere conjungi posse religiosam pietatem. Hic Vincentii præceptionibus ad frequentem æternitatis meditationem, curamque excultus, atque adeo ad congruentem amplitudini suæ sanctimoniam, præceptorem suum majorem in modum amabat. Quondam Calabriæ Collegia pro munere Provincialis lustranti; nobilem virum misit, qui Scyllam nomine suo invitaret. Non potuit id officii tam amico Societatis ac sui Principi recusare. addidit tamen non amplius, quam vesperam unicum apud eum

eum morari sibi esse integrum. At Princeps hujusmodi illius instituti gnarus, longioris moræ facultatem aliunde sibi providerat: nempe à Mutio Vitellesco, per quem quamdiu & quomodo ipsi libèret, Vincentium apud se retinere mensaque accipere licebat. Cùm igitur hic primùm Scyllam appulsus esset, ei Princeps denuntiat authoritatem in illum suam: & ipse hác intellectâ, licet alioqui alienissimus ab omni specie honoris ac commodi, nihil detrectans, nihil conquerens, aut objiciens, totum se Principis voluntati permittit, ac tironis ritu in omnibus obtemperat. Erat hoc palatum in modum religiosæ familiæ ordinatum, statum meditationi divinorum tempus, exanimi item conscientiæ, silentio, quieti. Quin & dignis Principe oblectamentis, nimirum venatui ursorum, & marino piscatui: quæ etsi Vincentius abhorrebat, virtutis consuetudine in naturam versa, nullum tamen tædii molestiæ signum edidit: néve interea nihil ageret, Deum suum hac opportunitate venabatur, aut arcana ex rebus objectis documenta sibi comitibusque accommodata eruebat. Sic enim

viri

viri probi, etiam ludendo Deum lucrificiunt, noruntque è mundi cœno cœlestes gemmas colligere.

Alter fons excellentiæ ejusdem virtutis hic erat, quod se non sui juris, sed divini penitus esse agnosceret, idque non communibus dumtaxat nominibus creationis, fidei divinæ sibi inditæ, Redemptionis, & ejusmodi: sed proprio irrevocabilis donationis sui per votum obediendi. Ita fiebat, ut integrum sibi fasque esse non putaret unum potius quam aliud velle ac nolle: imò nec judicio in aliquid propendere: sed id tantummodo sibi jam esse reliquum ut à Numinis nutu ac voluntate totus penderet, ac regeretur. Propterea etiam posteaquam Magistri Novitiorum, Rectoris, Præpositi Domûs Professæ, & Provincialis muneribus perfunctus erat, eorum imperio se totum & omnino subjecit, etiam in pœnis alioqui voluntariis, ad quas mira animi propensione ferebatur. Cùm igitur eos obnixè rogasset illorum facultatem; si negaretur, non aliud addebat, quam se non suum esse, sed Rectorum. Erat illius incredibile studium solitudinis.

Solitus

Solitus fuit dicere, silvam aliquam aut specum abditam cum libro panisque & aquae dernenso, quantum ad arcendam mortem sufficeret, sibi pro cœlo in terris fore. Tamen foras missus ad curandam animarum salutem, aut gubernaculis Societatis admotus, ne punctum quidem subducebat temporis illius, quod ad munus suum recte obeundum opus erat. Reliquum dabat orationi, ac negotioſo illi otio, quo se Deo arctius coniungebat. Quando faciebat iter, aut agebat cum hominibus, gerebat se, ut erat, virum publici juris, pari profecto alacritate, affiduitate, tranquillitate animi, ac si negotiorum amor ingenitus illi esset. Nimirum absoluta numeris omnibus virtus viris sanctis pro indeole est. Denique et si muniorum, quibus adhibitus est, dignitas prægravis illi esset, propter egregiam demissionem, tamen & humilitatem, & orationis studio, & ceteris virtutibus reginæ omnium obedientiæ ad majus earum decus, meritumque æternæ gloriæ morem gerentibus, totus ferebatur, quocumque illa urgebat: quasi virtutum omnium, non aliis, quam obedientiæ finis, non alia proclivitas foret. Ter-

Tertium caput ejusdem præstantiæ,
 quòd probè intelligeret non aliam esse
 certiorem viam rationémque Numinis
 gratiam demerendi, observatione legum
 religiosarum. Sive enim à Conditore
 Religionis, ejusque successoribus toti
 Reipublicæ religiosæ in commune latæ
 sint, sive privatim ab aliquo Præsidum
 ferantur, utrosque voluntatis divinæ in-
 terpretes esse, & eas pro illius placitis
 habendas. Quæ si quis accuratè exequa-
 tur, nihil ambigi posse, quin Numini sit
 acceptus. neque verò privatis oraculis
 tantum fidei adhibendum, quicquid
 præcipiant, quantum legibus religiosis.
 quoniam illa phantasiaz figmentis, dæ-
 monisque ludificationibus non difficile
 immisceri corrumpique possunt, à qua
 suspitione longissimè absunt leges reli-
 giosæ. Atque ut errori & ipsæ obnoxiaz
 sint, quatenus manant ab homine, tamen
 certissimum tutissimumque esse eas ob-
 servare, quòd observandas dixerit ille
 qui nec falli potest, nec fallere. Quibus
 adde propriis Societatis constitutionibus
 religiosæ perfectionis præceptiones o-
 mnes contineri: atque adeo dilucidam

Et quod
obediē-
tiæ cer-
ta sit via
ad per-
fectio-
nem

Y Evange-

Evangelii, consiliorumque Christi explanationem, nihil ut iis obtemperanti ad sanctimoniam deesse possit.

C A P U T VII.

Vincentii ardens studium salutis animarum.

Quid illud excitat? **V**ETUS & verum dictum est, Charitatem esse flammam. Atqui sine pabulo flamma non vivit. Nec igitur Vincentii charitas illo carere poterat. Suggerebat illud pia ejus commentatio scripta super his Augustini verbis, Christi nomine cuique propositis: *His solve quod mihi debes.* Itaque contemplabatur Vincentius optimum atque amabilissimum J E S U M. Conscenso Olivetico monte, priusquam in cœlum eveharet se, ostendere ipsi illinc omnia cruciatuum ac mortis suæ instrumenta, catenas, flagra, spinas, clavos, crucem, lanceam, simulque insinuare, nihil ex illis non ipsius gratiâ esse toleratum. Hinc verò objectis illius menti cunctis hominibus sibi coœvis amicè sic præcipere: *His redde*

redde quod mibi debes. Quare non nescius totum se iis nominibus millies & millies deberi, subjiciebat in iisdem adversariis, hoc obstricti animi syngraphum: Deum adamabo propter se & propter ipsum, vivis eius imaginibus inserviam: Cor tradam ipsi, manumque proximo, ut divino pectori eum admoveam. Hæc ipse non magnificenter dixit, quam præstigit fidelius.

In primis illud omne quod alias me- Ejus vis
moravi, algidi infirmique corporis vi- multi-
tium, ingentium licet dolorum ferax; plcx
illæ item perpetuæ acerbissimæque ti- biarum plagæ numquam obstitere, quo minùs tantum laboris ac fructus ferret hominum bono ac saluti, quantum si corpore validissimo expeditissimoque fuisse. Imò accidit non rarò, ut urgente illum aliquo charitatis officio, tam incitato gradu ferretur per urbem Neapolim, ut eum ægrè socii valentes ac vegeti consequerentur. Cujus velocitatis causam cùm aliquis è familiaribus admirabundus quæreret, eò præsertim, quod extra hujusmodi occasiones adeo debilis ac languidus esset, respondit ingenuè, id

laboris
tolerā-
tia & a-
lacritas

non naturæ viribus , sed singulari Dei auxilio tribuendum esse ; sic ei faventis, ut ministeriis , quæ exigit ratio instituti nostri , saltem aliquatenus defungi posset. Ex quo tamen non fiebat , ut laboribus ac itineribus à se susceptis non vehementer defatigaretur ; sed superna quædam vis , simul & animi vigor , corporis infirmitatem fulciebat . Neque minus admirandus videtur vigor ille , quod à Numinis complexu , cui arctissimè fortissimèque per contemplationem adhærebat , divellere eum potuerit. Id quod præclara cum charitatis laude de antiquis eremicolis memoratur , relictis silvis & antris suis , ubi Deo penitus intenti singulariter acquiescebant , advolasse in urbes hæresi aliisque criminibus infestas , quando salus animarum eos evocabat. Estque Vincentii clrior in hoc genere laus , quod solitudinis ac sancti otii perinde amans , ac si antehac semper in eremo sibi ac Deo vixisset ; tamen meliorem vitæ partem venandis summo studio animis impenderit . Nec enim parcus esse poterat laboris hac in parte , qui etiam sanguinem eis devoverat. Quam gratiam

gratiam ut obtineret, missionem Indicam ab ipso titocinio Claudium Aquavivam ardenter flagitavit, adhibito etiam suffragatore Mutio Vitellesco. significavitque hanc se favoris ac beneficii summi loco petere: quam si propter indignitatem suam non impetraret, nullum sibi imposterum sine nubilo ac mœrore diem abiturum. Etsi autem spe sua frustratus est, non tamen laude ac merito missonis Indice promovendæ. Namque illius desiderio complures inflammavit, Apostolicâ charitate ad eam aptavit, denique ferventissimâ ad Deum oratione, operosisque apud Præsides commendationibus voti compotes effecit. Postremò, Generalis creatus multam & florentem juventutem (tot, inquam, quot olim B. Franciscus Borgia) atque adeo Socios quadraginta in Indias simul destinavit; quamquam miserrimâ earum gentium sorte factum est, ut illarum portas sibi occlusas invenerint; quæ sanè cùm aliis quoque ab Hispana gentibus paterent, id est, Germanis, Gallis, Italisch, atque utrisque Belgis, & fecerunt ipsi priam Evangelii sementem pluribus in Regnis,

& hanc alibi factam sudoribus suis , san-
guine, atque industria irrigarunt. Porrò
qui longè remotis gentibus per alias ad-
erat, non potuit popularibus suis deesse.
*& varic-
ras* Itaque inter alia Sodalitium instituit ex
juvenibus malè antehac feriantibus, qui
bus tam scitè indidit salutis suæ studium,
ut multi è cœno vitiorum ad religiosæ
vitæ strictioris cœtūs feliciter emerserint.
Quæreritabat per compita Neapoleos ga-
neas, ubi festis diebus populi fæx aleam
& helluationem exercere consuevit,
subductisque amicè tessellis chartisque
lusoriis è ganeonum manibus, volentes
ad sacram concionem aut catechesim
ducebat. Ingrediebatur aliás per publi-
cas urbis vias ac suburbia, nolæ sono,
altaque voce pueros ad audienda fidei
rudimenta convocans: quæ cùm expo-
suisset, præcinebat illis hæc verba. *Quid
est in Orco? omne malum sine bono ullo.*
*Quid est in cælo. omne bonum sine malo
ullo:* *D*iciturumque est æternum. eaque
ipsa illos repetere jubebat, ut altius men-
ti imprimerentur. Per illud tempus quo
morbus contagioso similis inter milites
vulgatus est, fuitque haud paucis exitialis,
nihil

nihil vitæ suæ parcens, dies solidos tra-
ducebat in armamentario : ubi cùm ple-
riue humi prostrati ac semimortui jace-
rent, ipse de genibus , capite insuper
propè ad solum usque demisso eorum
piacularēs confessiones audiebat, aliis-
que, ut poterat, modis corporis & animæ
procurabat salutem. In horrendâ illa
Vesuvii concussione torrentes igneos
ejaculantis, à quibus universæ Neapoleos
clades meritò timebatur : Vincentius ci-
nere coopertus, lacrimisque madens
cum grandi signo Christi è cruce pen-
dantis manibus prælato urbem obibat,
attontum incendiis ac terræ motibus
populum opportunè ad seriam pœnitu-
dinem invitans, cā vultus ac verborum
vi, ut maximorum criminum reos tan-
dem expergefactos , ad ea è vestigio
eluenda perpulerit. Ut autem in eo ha-
bitu oris ac corporis eo loco comparuit,
quem, Seggio di Nido, nuncupant, (erat
autem id temporis nobilibus viris fre-
quens) continuò illi in genua procumben-
tes media in plateâ, tudentesque pecto-
ra elatâ voce , cum serio dolore miseri-
cordiam Numinis implorarunt. Ipse

Y 4 autem.

autem dein urbe egressus solabatur, sublevabatque semianimes reliquias miserorum, ab ultrice illa flammâ superstitionis ad certam ac properam mortem, nisi omni ope destitutis ipse succurreret. Et certè non minus animorum quam corporum medicina pabuloque opus illis erat: quod utrumque naviter quidem pro tempore ac facultate prouidit, at non satis ex voto. Siquidem noctes atque dies indagandis circum circa miseris juvandisque insumpsisset, si per Praesides licuisset. Denique etiam cum res totius Provinciæ administraret, damnatos ad remum adibat, confidentibus avidas aures dabat, sequentibus exemplum primoribus Domus Professæ ac Collegiorum Patribus. Imò & Societati impositus universæ, cœtui ad procurationem felicis obitûs Romæ à se instituto, (qui & nunc ibidem floret & in multas Europæ Provincias propagatus est) singulis sextis feriis intererat, & singulis mensibus communioni Generali, quovis in templo haberetur: solatum suum & relaxationem rarus, Christum in animis parturire.

Verum Vincentii ardor quærendarum
Christo

Christo animarum, in missionibus potissimum emicuit. Noverat enim has esse proprium Societatis munus, & propter addic^tam illis, ac velut affixam peculiarem Numinis gratiam, *Sancti Spiritus missiones* posse vocari. Quare & subjectus & Præfectus aliis, quoad licuit, iis sese impendit: industriaque multiplice ac divina earum usum, fructumque auxit. Certè cum Societati præfuit universæ, intelligens earum pro^curationem personâ sua dignissimam esse, de hac ipsâ ad omnes Provincias efficacissimè scripsit: in quarum singulis Præfectum instituit aliquem è ferventissimis gravissimisque Patribus, cui incumbet vestigare loca missionibus apta; Antistites item & Principes, quibus eæ offerri; tum solidæ probatæque virtutis viros, quibus demandari possent; ac demum invenire rationem gloriæ Numinis iisdem amplificandæ. Et jubebat quot mensibus sigillatim ac distinctè successum omnem ad se perscribi. Neque verò major illi aliunde solatii ac lœtitiæ seges, quam ex ejus generis litterarum (quas laureatas dicere licet) lectione frequenti, quam etiam

Eximia missio-
num cura.

Y 5 lacrimis

lacrimis condiebat. Atque ut gaudium suum cum aliis communicaret, si quid eximium iis inesset, ad Dei gloriam animorumque salutem, non pigebat illum certiores facere remotissimos quosque, etiam in Indiis Patres, ut aliorum exemplum ac virtus aliis currentibus esset stimulo. In quo ipso S.P.N. Ignatium amulabatur, cupiissimumque ejus excitare spiritum. Hic enim suos varias in regiones ad apostolicos mittens labores, cum inter mutuos amplexus bene illis precatus esset, *Ite, aiebat, faustis auspiciis, incendite aælestibus flammis mundum universum.* Et incendebat sanè Vincentius, quos convenire dabatur. Difficile enim ac longum esset fructus recensere, quos diversis Regni Neapolitani oppidis protulit: ac nominatim in Apuliâ, inque suburbis & urbe Neapoli: iis maximè locis, quæ ab ejus meditullio remotiora sunt, & plebeculâ egentibusque referta. Enim verò facile ignis ignem gignit, & pectus alienæ salutis studio ardens terrena corda, solis instar, calore foveat, aptatque ad frugem. Adjacentibus quidem portæ Capuanæ suburbis, ea regione, quam vocat

præser-
tim ad
lupas
conver-
tendas.

vocat Incarnata (quæ præcipua est senti-
na Neapoleos , magno luparum numero
infamis) uberes extitere proventus la-
borum Vincentii. Multas enim carum è
pudendis prostibulis extractas in domi-
cilia honestatis ac pœnitentiæ transtulit:
Deo sic favente, ut illius invictæ virtutis
digna trophæa extarent, nempe ex vitio
pertinacissimo , & muliercularum fæce
ejus tenacissimâ. Struxit autem in mis-
sionis loco, quam in viciniâ instituerat,
ædiculam, ipse operariorum pars non mi-
nima: quippe arenam, & saxa, & calcem
vehens, & suis manibus ceteris inser-
viens. Quam pariter operam eumdem
in finem navaverat in missionibus ad op-
pidum S. Antonii, cæmentariis immixtus,
paritérque laborans , cum populi adspe-
ctantis, generosâmque pietatem mirantis
haud mediocri approbarione. Quæ o-
mnia multum quoque ad exemplum va-
lebant. Quo minimè contentus, junio-
res Nostros festis diebus aut Concionem
aut catechesim habentes per compita
frequentiâque Neapolis loca ipse præ-
sentiâ suâ animabat: quamvis importuno
tempore, id est, horis æstu ardentibus,
quamvis

quamvis remotis à Domo regionibus urbis eas haberent. Etenim enascentium inde fructuum suavitas omnem incommodi ac lassitudinis sensum viro salutis alienæ percupido adimebat.

Furente
& ulsci-
fcente
daemo-
ne

Ceterùm ubertas fructuum unius ejus missionis, scilicet ad Incarnata, ut aliunde non pateret, satis colligeretur ex dæmonis rabie, jacturam illic suam, ut ex oraculo Vincentius didicit, incredibili nostrorum damno ulciscientis. Divina quodam mane contemplanti gravissimum Domui Professæ, cui præerat, infortunium instare divinitus indicatum erat. Ipse hanc pœnam alicujus delicti sui interpretans, illacrimari, Deumque obtestari cœpit, dignaretur imminens illud malum distinctius declarare. Et respondum audiit gravissimum omnino, at non nisi rerum caducarum jacturam fore. His nuntiis paululum respiravit. Quantumvis enim futurum esset, solas tamen terrenas opes perituras: quarum jactura facile leniterque tolerando compensari potest: quin & præstantioris boni accessione superari. Nihilominus cum jam Patrifamilias non animas dumtaxat, sed

&

& corpora filiorum curæ esse oporteret, divinam clementiam implorare perrexit; ut si quidem è gloria Dei, & re suorum esset, amoliri infortunium ab illis, aut imminuere placeret. omnes enim ejusdem Dei filios & operas esse. At persistit in sententiâ benignissimum, etiam cum sœvit, Numen. alioqui enim consecutum dampnum spirituale, utique temporali isto funestius. Tum verò Vincentius acquiescens, preces in gratiarum actionem vertit: magnâque mentis submissione, rei instar, excipiendis Justitiæ divinæ flagris humeros subjecit. Et mox incubuit illa Domûs Professæ templo: nocte enim in sequenti (quo, aut cuius vitio incertum) illius solemnissimum ornatum (nempe uno dierum antecineralium, quando ad preces publicas expositum est Augustissimum Sacramentum) flammâ corripuit, frustratâque promptitudinem, sedulitatem, artesque prohibentium, brevi spatio temporis ingenitam machinam, altari ornando superstructam, totam cum peristomatis, signis, vasis argenteis, ceterisque ornamentis involvit, & nisi divina quadam

vis

vis coërcuisset, jam per fenestras domatis exiliens, ventoque impellente concitator, irrupisset in proximam ædium partem, easque & adjacentem urbis regionem depopulata esset. Quam cladem secundum Deum, magnam omnino partem depulere Patres Dominicani: quorum tanta festinatio, multitudo, tamque opportuna fuit cura opis ferendæ, perinde quasi non modò periculum, sed & damnum proprium ipsis fuisset. Porro Basilica illa, fortè inter Europæ pulcherrimas antehac etiam numeranda, eo incendio in teturum ac triste templi velut cadaver deformata fuit. Quod dum fieret, stabat ad fenestram è templi regione Vincentius, flammarum subinde respectans, subinde oculos in cœlum defigens, tranquillissimo corporis habitu, audiebaturque ita ex animo dicere, *Domine fiat voluntas tua! Si peruri omnia der redigi in cineres placet, ad tuam voluntatem omnino meam accommodo.* Quemadmodum autem ex oraculo divino eventurum infortunium cognoverat: sic ex eodem evenisse didicit dæmonis nequitia, odioque in Vincentium ingenti: ob animas

sibi

sibi in lustris Incarnatensibus ejus opera
ereptas. Quam pessimi genii ultionem
permisit providentia Numinis, admirabi-
li quidem, at æquissimo consilio. uti
uti res habet, diviniore trutinâ eam ex-
pendentî, non minus optabilis est com-
plurium meretricularum, id est, dæmo-
nis stabulorum in templo Spiritus Sancti
conformatio, quam deformatio templi;
utcumque pulchri, luctuosa.

Porrò ut sterilem agrum non nisi la-
bore & industria fecundes: ita nec Vin-
centius sine illis infructuosos criminoso-
rum animos, aliósve virtutum steriles
fertilitate donavit. Quare, quod crebrò
inculcabat Nostris, Charitati duas esse
sorores, mansuetudinem & patientiam
(quas ejus latera semper claudere oport-
eret) perpetuis benignitatis exemplis
comprobatum esse voluit. Imprimis na-
ctus aliquem gravium noxarum reum,
quasi cum litteris commendatitiis à Deo
ad se missus esset, sic eum excipiebat,
tantâ videlicet cum benevolentiae signi-
ficatione, ut intimo pectori immergere
velle videretur. Patrem illius nominati
Prodigi dixisses, qui in reduce filio non
heluato-

Vincē-
tii ars
animas
conver-
tendi

heluatorem, non subulcum fame propè
enectum, tetrumque ac fœtens mendi-
cabulum, sed filium intuitus, missa omni
objurgatione arctè pectori adstrinxit,
dissuaviatus est, festoque ac musico can-
tu, lautoque epulo exceptum familiæ re-
stituit. Sæpè illos egentes adibat quos
inopia impellit, aut quemadmodum lo-
quuntur illi, adigit ad peccandum, quo
se & familiam sustentent. Quibus lar-
gam stipem ex Equitum Sodalito acce-
ptam liberaliore etiam animo impertie-
bat. operosiùs haud paulò fuit Vincentio
inveteratae consuetudinis tyrannidem
edomare, libidinosæ præsertim. Est enim
illa, ut blandissima, sic & pertinacissima;
nec pellex minus mulieroso, quam ar-
bori vetulæ hedera impletitur: quam
revellere velle, ut rectè Bernardinus, est
arborem non eâ tantùm, sed & cortice
exuere. Itaque talibus curandis asperas
pœnas ipse subibat, de iis solitus pronun-
ciare, quod Servator super alio argumen-
to: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur
nisi in oratione & ieiunio.* Addebat Apo-
stoli Gentium exemplo parturiendas esse
Christo animas, id est, iis pariendas
puer-

puerperii cruciatus esse preferendos; at non inferendos iis, quæ pariuntur. Et enim (quæ hominum prodigiosa insanía est) nihil molestius dæmonis mancipio, quam in libertatem dignitatemque filiorum Dei afferi velle. Certè exploratum est aliquod ex his mancipiis multo sanguine Vincentio constitisse, adeo ut laceri exutiique carne humeri restarent. Sed leve illi erat crux eis causâ fundere pro quo Christus suum omnino effudit.

Verum agè, industriæ illius in recupe-
randis Christo animis exempla pauca de
multis promamus. Accidit aliquando ad
eius pedes homo plurimorum maximo-
rumque scelerum reus, studio quidem
grave illud onus per omologesim ponen-
di, quod jam à pluribus annis molestissi-
mè ferebat: sed studium illud omne de-
speratio emendationis, ut hactenus sæpè,
languidum & inane reddebat. Eo co-
gnito novam ac salutarem rationem in-
ivit Vincentius spem hujusmodi exsusci-
tandi. Confirmavit illi se sine contro-
versia illo longè olim deteriorem, ex-
pensis sedulò salutis æternæ, cladisque

Z pariter

pariter æternæ momentis, emersisse tandem è præcipitio, unde facilis ac certus in orcum lapsus sibi instabat. *Quod si*, aiebat, *mibi profundius libidinis cloacæ immerso, tetendit aliquando manum paterna Numinis providentiâ, atque ad surgendum adiuvit, cur tu præ me, ut sic loquar, innocens, eâ reiectâ, deploratâque salute miseram æquè ac periculosa vitam imposterum trahas, cùm possis secundâ? Hac arte tantum fiduciæ homini indidit, ut quoquò placitum fuit, eum adduxerit.* Ergo tanto conscientiæ pondere liber, ac lætitiâ gestiens, à Vincentio discessit. Adeo verò menti impressam habuit opinionem de præterita Vincentii palmari libidine, ut post incidente de ejusdem perpetua integritate vitæ, sermone, laudatâque ab aliis ejus præsertim castimonia virginali, rideret ipse sermonis, ut rebatur, vanitatem: quippe contrarium sibi ex ipsius Vincentii ore plus nimio constare: quondam secretò fassi, admissa à se flagitia & plura suis & graviora; nominatimque in castimoniam esse peccatum. Resqué haud levis negotii fuit, eum edocere rationem, sensumque

sensumque quo Sancti homines, citra mendacium omne, reos se criminum dicant, immo omnium flagitosissimos. Et verò paradoxum hoc è subtilissimis est, nec tam disputando, quam sentiendo percipitur.

Parabiliore remedio, at non minus efficaci nobilissimi Equitis ingentem ægreditinem medicatus est. Hanc creaverat dolor è præmatura inopinaque Principis filii morte, utique quinto & decimo à nuptiis ipsius die. Exasperabat dolorem damnum familiæ irreparabile, indidem acceptum. Quibus de causis in lacrimas solvi, ingemiscere, agitare incondite brachia, summâ desperare & insatum agere. Advocatus solatii causâ Vincentius: ut primùm accessit intimum commiserantis ac benè volentis animi sensum præ se tulit. tum benignè salutatum, ut quietius familiariusque alloqueretur, seorsim in cubiculo angulum deportari jussit, & insidere lecto. Simul ingressus de cælesti felicitate sermonem, demonstrare cœpit diversas divinæ providentiæ vias, mortales ad eam velut manu ducentis. In his esse quidem non-

In mœ-
rore pa-
tris ob
mortē
filii

nullas asperas ac difficiles, si per se spe-
ctentur, sed earum celerem ac fortuna-
tissimum exitum aspicientibus, expeten-
das potius quam defugiendas. Asperita-
tem quoque non parum leniti, si pater-
num amantissimumque Dei animum per
cas conducentis attendas; quippe ut ha-
beat cur suorum labores immensâ mer-
cede compenset. Et verò longè nobis
optabilius esse viâ spinis asperâ ad cælestis
æternæque gloriæ rosas pertingere, quam
contrà post hujus vitæ delicias (quæ &
ipsæ aculeum habent, & furtim quidem
at intimè animis infigunt) igne tartareo
semper ardere nunquam consumendos.
Hæc cùm differeret, modò mœstissimi
Principis amicè comprehendebat ma-
num, modò illius frontem muniebat si-
gno crucis, modò aliis animum demul-
cebat modis, sanè plusquam fraterno
amore. Porrò seu Vincentii oratio cor
ejus tetigerit, seu divina quædam vis im-
pressa manibus tangentis, aliquantis per
hæsit Princeps cogitatione nescio qua
tamquam absorptus, oculis in unum lo-
cum defixis. Tum derepentè prosiluit
è lecto, ruensque in faciem, & brachia
in

in crucis formam explicans ita fari cœpit. Ergo tibi grates, mi Domine, mi Deus, pro adempto mihi filio: simul terræ fixit osculum, dixitque id quidquid esset pœnæ, peccatis suis impar esse. Atque hunc in modum cum Deo agere perrexit, tanto pietatis affectu voluntatisque suæ cum divinâ consensione, ut omnes qui aderant, non religione minus, quàm admiratione tam subitæ novitatis impleverit. Enimvero multum brevi peragitur, ubi qui omnia potest, operam confociat. Quippe velle illi, fecisse est.

Ceterùm admirabilius est, quemadmodum & magis arduum magni Princis animum in ætatis flore capite damnati, ita à Vincentio comparatum fuisse ad mortem, ut eam non fortiter dumtaxat sed & placidissimè oppeteret. Causam aut occasionem tam funesti exitus non attingo. Sat mihi affirmare juvenem illum persuadere sibi nequivisse tantæ noxæ se reum. Ex quo Vincentii dexteritas animos tractandi, eximiisque animi vigor emicat. Imminente enim tam acerbo fato, ac confirmante Patre, auditus est juvenis dicere, numquam hactenus

In Prin-
cipis ca-
pite da-
mnati
compa-
ratione
ad mor-
tem

Z 3 sibi

sibi tam tranquillè jucundèque fuisse; atque illum ex animi sententia loqui, loquentis hábitus & vultus satis testabantur; sed omnium certissimè Vincentius, qui illius vitâ functi animam vidisse se in cœlum evolantem disertè liquidóque asseruit ejusdem matri: auditusque est sæpè in cubiculo exclamare, appellato nominatim eo Principe. *O quād m̄ est beatus!* Et interrogatus à Sacerdote, an illius anima precibus piacularibus haberet opus, præcisè negavit, quòd coelo jam potiretur. Insuper antehac cùm adesset cuiquam moribundo, vultum subitò mutavit: & quasi insuetum aliquid videret, oculis in cœlum erectis, & ore planè inflammato suclamavit: *O sorte m̄ beatam!* rogatusque ecquid cerneret: Principis istius animam se cernere ingenuè faslus est. Tanti est difficiili tempore paternam Dei in se voluntatem & agnoscere, & amplexum esse.

Et ægri
despe-
rati

Plus etiam desudandum Vincentio fuit in homine perduto ad mortem Christianè obeundam componendo. Et verò animæ mortuæ suscitatio omnium prodigiorum difficillimum est, cùm & morbus illius

illius non nisi Christi sanguine possit sanari. jacebat ille corporis invaletudine redactus ad extrema, sed periculum vel non sentiebat, ut pluribus accidit, vel negligebat; quippe fide rerum consequentis vitæ prorsus sopitâ: quæ solet esse pœna pertinacis libidinis. Itaque nulla ratione induci poterat, ut supremis mysteriis muniret animam, quamvis id temporis ac loci admodum iis egentem. Extremi remedii vice accersitur, venitque ad ægrum Vincentius. Sed omnem ejus artem eludit pervicax, sive spes venia proponatur ex infinitâ Numinis clementiâ, sive metus damnationis æternæ ex pari clementiæ Justitia. Ergo supervacaneum ratus de Deo divinisque cum illo loqui, statuit de ipsomet Deum alloqui, ejusque efflagitare salutem. mox in secretius cubiculum sese insinuans, primùm cum uberibus lacrimis ac gemitis deploratam hanc animam sibi à Deo donari petit. tum horrendum in modum se diverberat, adeo ut domestici ictuum fragore attoniti non possint non sperare Vincentium sic saltē cælitus exaudendum. Nec spe frustrati sunt. nam cùm

ad ægrum suum redisset, omnino alium, aliaque cogitantem omnia comperit, utique scelerum dolore penitus iustum, paratumque ad omnia quæ ratio salutis exigit. Quare confessim aurem admovet noxas anteaetæ vitæ confitenti; Confessum expiat, nec deserit dum pœnitudinis sensu ad mortem usque piis monitis sustentato migrasse è vitâ cognoscit.

Equitis
item &
Sacer-
dotis
impu-
rissimi

Haud minus commendanda videtur Vincentii vis in Equitem profligatissimæ vitæ, discessione à conjugè, & provocatoriis diuinationibus infamem. Reconciliare illum cum uxore, cum inimicis, cum Deo tentaverant homines religiosi complures, sed incassum. Omnis ea laus uni Vincentio servabatur. Hic igitur vel semel eum affatus, mirum dictu! sic immutavit, ut concubinas amandarit illicò, atque in gratiam cum uxore, torique societatem redierit, & scriptum exararit sapientiâ plenum, quo provocationes ejusmodi acriter à se adhuc propugnatas, & ipso usu cōfirmatas damnabat. Denique depravati Sacerdotis ad meliora conversio omni ex parte admirabilis, Vincentii meritis ac industriæ debetur.

Agebat

Agebat ille ganconem nullo sacri characteris respectu, nullo propudosæ vitæ pudore, probrum & execratio civitatis. Miseratus hominem Dei servus, precibus pro eo ardenter fusis graviorum secretorumque ejus flagitorum notitiam divinitus hausit. Hac instructus adit perditum, & Angelici illius status munerisque commonefacto, flagitia aperit, ubi, quando, quibuscum, patrata retegit. Qui stupens ad hanc tam disertam distinctionemque denunciationem, satisque exploratum habens consciū illorum praeter Deum esse posse neminem, scilicet ejus interpres Vincentium agnoscit, simul & divinam in se clementiam. Nec plura; dat manus, Patris arbitratui se permittit: ejusdem consilio flagitia totius anteactæ vitæ ritè fatetur. excusatque ab eo spiritualibus S. Ignatii exhortationibus mores sacerdotio dignos induit. Ita cum Vincentius incurabilium animarum medieus audiret, etiam foris & per litteras rogabatur, ut depositos ab aliis obstinatissimæ nequitiae homines ipse curaret, nec spes eos fallebat: Divino enim Christi sanguine, quem precibus

Z 5 cliciebat

eliciebat è plagis, tanquam hircino adamanentes emolliti, facile franguntur.

C A P U T VIII.

Vincentii mirum studium sublevandi inopes.

Privati
erga in-
opes
ben-
gnitas

ABeneficentia adversus animas descendit ad beneficentiam adversus inopum corpora. Quippe sorores sunt: quamquam illa sublimius munus, hæc depresso sortita. Fuit igitur Vincentius jam inde à teneris unguiculis propensus ad misericordiam; utque hæc cum nascente nata, sic cum adolescente adolescentis, ad Religionis septa properantem secuta est: licet autem hoc in statu paupertatem Christi profiteretur, atque adeo non aliter quam voto ac benevolentia miserias inopum levare posse viseretur; tamen industria Charitas modos excogitavit in paupertate liberalitatem vel maximè exercendi, usque eò ut Vincentius generosus & magnus apud populum audiret. Itaque sæpè sæpius urbem Neapolitanam mendicando obivit,

non

non sui tantum deprimendi causâ, sed & stipis pauperibus colligendæ, nominatim egentioribus ac pudentioribus, captivis item & ægris, quam oppidò largam ejus nobilitas ac sanctimonia eliciebant. In cuius distributione coactus interdum in gurgustiola reptatu ascendere, ut moram à corporis pessimè affecti debilitate excuteret, sibi animando accinebat idem illud, *Sursum corda*, arduosque ac difficiles gradus, æquè hilariter celeritérque ac planum iter, inibat. Non raro de Moderarorum venia meliorem demensi sui partem largiebatur ipse met egenis: & aliás quoniam noverat mensæ reliquias omnes illis attribui, tam sibi parcus erat escæ potúsque, ut Præsidibus invigilandum esset, ne plus justo genium fraudaret. In illa tristi à monte Vesuvio clade, seu hominum seu ædificiorum innumerabilem, opportuna nobilium ope quotidie scapham submittebat panibus aliisque cibis ac vestibus plenam, in usus cum pauperum derelictorum, tum ab incendio illo profluente ustulatorum, quibus remedia, condimentaque, & utrisque magnam pecuniaꝝ vim addebat. Nimirum

ut

ut calor dilatat corpora, ampliorique spa-
tio coæquat, sic caritas latius fundit ani-
mos, unumque hominem multis parem
efficit.

Et Præ-
fidis per
omnes
mune-
rū gra-
dus

Major illi, dum præcesset Nostris, co-
pia miseris subveniendi, quam minimè
otiosam esse voluit. Quid Romæ egerit
in eorum gratiam illa fatali Romanis
anni 1649. fame, post anni præcedentis
sterilitatem, priùs executi sumus. Alias
etiam in eadem Generalis Præfectura,
quando à Collegio Romano modò sex-
centi, modò mille ac ducenti mendici
pasti sunt, ipse non dignitate magis, quām
iis inserviendi studio ceteros anteibat;
cæcis sua manu cibos porrigens, quod
ministerium omnium infimum & ope-
rosissimum erat. Cùm tironibus mode-
raretur; viros honestos, lautè quidem
vestitos, sed revera egentes in secretum
domus Conclave inductos, mensa exci-
piebat, ministrans ipse, tumque larga sti-
pe donatos dimittebat. Offendit quon-
dam in umbilico arcis Neapolitanæ semi-
nudum ac frigore rigentem; utique Aqui-
lone tunc haud modicè sæviente. non
sustinuit tenerrimum ad eam speciem

Vincentii

Vincentii pectus tam acerbam inopiam;
 nihil rogantem seorsim à turbâ evocat,
 caligas ipse suas deponit, misero largitur;
 fecissetque haud dubiè amplius, si ratio
 decori sivisset. Aliàs leproso mendico,
 seu quòd vestis decesset, seu quòd sui com-
 misionem ciere vellet, nudo, indu-
 sium suum concessit, & constans fama
 est eo induito lepram exuisse. Exploratiùs
 est triginta Julios ejus jussu à socio Sacer-
 dote pauperi impertitos, posteaquam
 eos cum cura numeraverat, ubi primùm
 pauperis manum attigere, in aureos tri-
 ginta fuisse conversos. Per idem tempus,
 quo Novitiis præerat, mala aureola mitia
 famulus quidam ægroto poposcit Vincen-
 tium. Jam æstas ad finem vergebatur, &
 hortulanus nulla in horto reliqua esse
 responderat: ipse fronti manum appli-
 cans, ubi mentem divinam exploravit,
Actutum redi ad hortulanum, ait cui-
 piám, *ei que verbis meis refer, ea diligenter*
conquirat, ad futurum ipsi Deum. Persta-
 bat tamen hortulanus in sententia, ope-
 ram sponte perdendam objiciens: utique
 sibi esse compertum nullum ulla totius
 horti arbore superesse, nisi in ista (certam
 indicabat)

non si-
ne pro-
digia

indicabat) sed quidquid malorum in eâ
esset, acerbum esse. se enim isto inane
decerpsisse reliqua, & Sociis in prandium
præbuuisse. nihilominus ex designata ar-
bore legi aliqua, & famulo dari Vincen-
tius voluit. ubi sub illam hortulanus pe-
dem intulit, sponte decidit unum , arri-
pit ille studio demonstrandi acerbitatem,
gustar, miraturque præter spem omnem
mite esse: alia vellit eodem eventu , di-
scitque tandem Sanctorum virorum be-
nignitate fructus acerbos mansuescere.
Eodem Collegii Neapolitani Rectore,
cùm templum, ut diximus, ignis corri-
puisset, operarius artificio victum quæri-
tans, interea dum illi restinguendo adla-
borat, clavo pedem infixit. unde cùm
opificio ineptus esset, atque adeo victui
comparando, Vincentio supplex fuit, ut
opem sibi ferret, donec curaretur. An-
nuit ille, cùmque decem aureos penes
se haberet, ei dono dedit; tum præcepit
œconomico , ut interea temporis quoti-
die eidem sufficeret ad honestum victum
necessaria. Paruit hic aliquamdiu, sed
postmodum stipem illam vel supervaca-
neam ducens, vel nimis in longum trahi,

avaricus

avarius cum illo egit. Quod animad-
vertens frater alias beneficentior, Vin-
centium ea de re monitus adibat; sed
occurrentis illi, priusquam verbum fecis-
set, Pauperum Pater, Redi, inquit, *ad*
œconomum, ac meo nomine ei præcipe,
pergat, ut antebac, operarium illum alere,
quemadmodum ei præscripsi. Eodem in
munere Janitori Collegii disertissimè *effusa*
prohibuit, ne quem è mendicis indona-
tum dimitteret: fecitque amplissimam
facultatem è cellâ penuariâ auferendi
quidquid eis necessarium indicaret. Et
ipse pariter, si quem animadverteret,
sevocatum, stipe quæ tunc præ manibus
erat, donabat. Erant quoque seu Sacer-
dotes seu nobiles, seu disciplinarum au-
ditores, quibus annonam suppeditabat,
incredibili sollicitudine rerum domesti-
carum ministros crebrò commonens,
de vestibus vel frumento, vel alio quo-
piam eis tempori providendo. Cùm Do-
mui Professæ Præpositus esset, legem sibi
imposuerat stipis accipiendæ binas dex-
tantes seu vicinas ex centenis in paupe-
rum usus subtrahendi. Item, ineunte
quolibet mensæ Janitori pecuniæ sum-
mam

*liberalis-
tate*

mam tradebat, iisdem erogandam: de qua nihil ultra audire volebat, quam erogatam esse, ut novam sufficeret; longè utique lætior datâ, quam antè possessâ. In Beatorum Sanctorumque nostrorum per vigiliis, & celebrioribus anni diebus centum ex maximè egentibus cibum præbebat; cùm prius adultiores sermone spiritali, juniores doctrinâ Christianâ pavisset. Sub illud tempus nobilis quidam vir, at pauper & advena, quem Vincentius secretâ frequentiâ stipe impertiebat, appetente hyeme synthesim eum rogavit arcendo frigori. nec mora, cùm aliud nihil expeditum haberet, suam ipse humeris detractam ei tradidit; nec aliam sibi postulavit, licet cum potestate Domum administraret, & gelido alioquî corpore, aliquot dierum spatio in simplice tunica frigus toleravit, sedenim excalefaciebat eum charitas, & Christus quem deposita togâ domesticâ arctius induerat, à frigore defendebat. Cùm Collegia Provincialis inspiceret, numquam mendicum ullum obvium indonatum reliquit. Si æreus nummus deerat, argenteum dabat; si argenteus, aureum,

miran-

mirantibusque dicebat se vero eorum de-
mirari admirationem. Qui enim nummi
aurei in singulos pauperes donationem,
profusionem censeat, aut nescire quid
mereatur Deus, aut in paupere Domi-
num JESUM totius sanguinis sui pro-
digum non agnoscere. Quod si nec au-
rum nec argentum in promptu erat,
mantilia, strophiola, industria, quidquid
denique in illius manus venire poterat,
largiebatur. Quando sub meridiem pran-
diolum sumebat, si quem videret pau-
perem, portionem suam ei impertiebat;
si alii supervenirent, etiam Sociorum,
utpote tam pii praesidis exemplo inediā
haud gravate ferentium. Insuper inter
Iustranda Provinciae Collegia sedulò in-
quirebat in mores Rectorum: quorum
si quem deprehenderet praeparcum sti-
pis, ante suum è Collegio discessum adi-
gebat ad prandium semel aut bis paupe-
ribus praebendum, quotquot in urbe
possent reperi. In singulis item Colle-
giis, ordinarias ex praescripto largitiones
auxit, excussaque omni supellestile lancâ
lineâye, si quid tritum ac derelictum oc-
curreret, uteumque reconcinnatum

Aa egentibus

egentibus impertiri jubebat. Et quamquam nonnulla ex collegiis , annuis vētigalibus parum instructa ægrè subsistebant , parsimoniam tamen in miseros Rectoribus inhibebat. Enimverò proprium illud esse Numinis amantium , quales Socios esse decet, non superfluis modò, sed & necessariis ejusdem gratiâ pauperum usui se spoliare. Et verò si ratio habeatur commodi domestici , de quo minimè laborat vera charitas , rem non augeri tenacitate exigui illius, quod possideas , sed largitate. Quippe quod pauperi donatur , id Deo fœnori dari, eumque pro singulis nummis pendere centenos. Ac denique humanas voluntates, agrorumque ubertatem in potestate habere. Qua super re scribens ad Rectorem benè largum in pauperes , ait se illius liberalitate vehementer gaudere : neque dubium esse , quin usus eum doceat, illa Christi , *Date dabitur vobis*, velut fraterna caritate inter se cohædere. verumtamen , *non omnes capere verbum istud.* Nimirum gratiæ esse divinæ, qua qui fruatur , ei grates Numini esse habendas.

Et

Et revera scientiam illam non omnium ^{Cum}
 esse, etiam religiosæ vitæ cultorum, ipse rei fa-
 miliaris
 expertus erat. Siquidem dum Collegii
 Neapolitani rem administrabat, fuit qui
 perspecto Vincentii liberalitatē in egen-
 tes modum confuetum excedere, plus-
 que, ut dicebat, charitatis, quam pru-
 dentiæ habere, eidem significavit, si de
 illa nihil detraheret, tantis dēhūm no-
 minibus obruturum Collegium, ut suc-
 cessori multum negotii relinquēret. Cui
 ille, *Non ita res habebit fili: ne metue.*
Non ita, inquam, *res habebit.* *Eminve-*
rò rem familiarem dūgebimusi *nec pecu-*
nia nobis deerit, nec ulla nomina successori
dissolvenda relinquemus, sed multa au-
reorum millia. & prædictionem proba-
 vit eventus. Namque super Dei bene-
 facta, quibus per se ipse, viisque obscuris,
 nec antea provisis, collegium cumula-
 vit, tam felices fuere prædiorum ejus pro-
 ventus, ut liqueret manifestò hos à mi-
 raculo propè abesse. Et verò Vincentius
 bona parte æris alieni, quod deceffores
 contraxerant, Collegium liberavit; &
 magnam pecuniæ vim, reique cibariæ
 annonam successori præparavit. *Facia-*

A a 2 *mus,*

mus, aiebat, aliquid Dei causā, & ipse
 faciet nostrā : quod antehac S. P. N.
 Ignatius pronunciarat. Utique, addebat,
 sola ei voluntas ad efficiendum, quidquid
 placuerit, sufficit : Nulli ad donandum
 sumptus, nullus labor necessarius. Non
 minus feliciter ei cessit, inter regendam
 in Domo Professam apprimè munificum
 fuisse. Illa quidem semel ad extremam
 Neapo-polita-na
 necessitatem redacta est; sed & illicò inde
 crepta, suppeditatâ supra spem, & af-
 fluenter, annonâ. Contigit alias, idque se-
 mel dumtaxat, ut cādem nummis &
 pane destitutâ, Quæstor non medio-
 criter angeretur: sed levandis utriusque
 angustiis, unde minimè exspectabatur,
 Providentia Numinis opportunè centum
 aureos submisit. Prodigiosius Vincentio
 in novi-
 tiatus succurrit Deus Novitiorum Magistro.
 Quondam per negligentiam pistoris de-
 fecerat panis in tirocinii Domo. Ani-
 aduertit hanc inopiam triclinii curator:
 sed seriùs, quām ut è Domo Professâ
 commodatò accipere posset: dequé tota
 re certiorem faciens Vincentium, roga-
 vit prandii horam dilatam vellet, dum
 ei necessitati foret prospectum. At
 abnuens

abnuens ille, quæsivit quot ei panes superessent: auditoque viginti duos exiguos superesse, eos in frusta dividi, & singula singulis apponi jussit, innuitque reliquum Deo curæ fore. Paruit frater, & statim tempore pulsus examinis instituendi index, ac postea prandii datus est.

Affident itaque mensæ quinquaginta homines religiosi, è quibus plerique tirones (gens appetentiæ haud profectò expers) & frusta sua, quæ viginti duobus ad summum sufficiunt, brevi consumunt. Jámque huic & illi panis deficit. Adeò ille properè, & huic & illi panem è corbe in medio triclinii locari solito, defert. Atqui in eo corbe duos tantùm integros frater triclinio præfектus reliquerat. Et tandem jam tertio, jam quartò panis deest: nihilo seciùs ad corbem reddit Vincentius, & ex eo panem educit, poscentibusque apponit. Desideratur & ab aliis compluribus: & ex eodem corbe plena manu à Vincentio sufficitur. Jamque haud dubiè longè amplius, quam in corbe fuerat relictum, eduxerat, quando, cellarius prodigo attonitus, cui perspiciendo oculos animumque intenderat,

A a 3

Patri

Vincen-
tiusporro
mini-sterium
mensæextra
diem si-bi con-
suctum

supsit.

Patri Ministro, mensæ tunc temporis assidenti conscientioque inopiæ panis, rem innuit: stuporem uterque nutu mutuo communicant: dein ipse pronus, ut rem oculis suis propius ac certius exploret, averso Vincentio accedit ad corbem, & vacuum invenit: Attamen Vincentius iterum iterumque, ac saepius, donec omnibus factum est satis, ad corbem accedens panem ex eo eductum expetentibus porrexit. Et quod prodigium vehementer auger, reliquæ panis istius cœlitus superadditi collectæ, appositos initio panes amplitudine superavere. Nimirum fiduciæ in Deum peramplum est penu, unde quò plus eduxeris, eò plus educere possis. Atque ex eodem penu vim tritici non modicam alias extraxit. Moderabatur etiamtum tironibus, & ad duos modios res frumentaria redacta erat: admonitus de penuria frumenti Vincentius, nihilo secius præcepit ut ex eo fieret panis; pollicitus fore ut Deus in posterum prospiceret. Eo pane fermè absimpto, quæsiit ex eo pistor, unde postmodum frumentum peteret; se enim nuper nihil illius in granario fecisse reliquum:

854

relicuum : *Adhuc supereft*, responderet Vincentius, unde, *lꝝ quod tibi est necessarium, ibidem invenies.* Et revera codem loco, ac mensura qua primū invenerat, frumentum invenit. Neque id semel dumtaxat, sed secundò, ac tertio, ac de-
nique donec tempus messis advénit ; ut appareat Providentiam Numinis suorum necessitatibus velut obligatam, ad con-
dictum usque diem operam locare.

Et Vincentius, quasi cum divina in se
beneficentia certaret, non sedulò minus per se
constanterque, quam si lege aliqua te-
neretur omni ope inopes juvare, cum opem
suā nequiret, alienam requirebat. Quare
si qui, præfertim nobiles & honesti, ma-
joribus, uti fieri assolet, propter gravio-
res necessitates subsidiis egebant, quam
ferre ipse per se posset, confugiebat
ad locupletum misericordiam, quos, ora-
tis prius Superis, facillimè quidquid pe-
teret, exorabat.. Ita cum vir quidam no-
bilis in summas rei familiaris angustias
conjectus esset, eo misericordiæ Matri,
Immaculatæ Mariæ, commendato cum
humili prece, ut per Ducem de Medina
misericordia sublevaret, ipse Ducem adiens,

A a 4 mobilis

nobilis Equitis in opiam eidem exposuit, confessimque humaniter ab eo ductus ad abacum duplionibus plenum (quorum singuli sex aureos æquabant) tot ab illo donatus est quot vir verè princeps manu potuit capere; qui & insuper officiose Vincentio pollicitus est, quot deinceps haberet necesse. Quondam intellexit tres sorores nubiles, non ignobili genere, cum non suppeteret, quod se honestè amicirent, & citra pudorem in publicum prodirent, solitas in eodem strato simul manere. Movit mollissimum ejus animum miserabilis illa species; eō maximè, quod ejusmodi misellæ remedio paupertatis omnino carcant, ingenuitate scilicet ne mendicent, imo ne inopiam evulgent, prohibente; unde proximus in desperationem descensus, atque in vitia omne genus. Ergo quam̄ potuit citissimè abunde iis, collatitia secretaque stipe, providit de necessariis. Id quod lacrimas ac suspiria pauperculis expressit, lætissimis tam opportuno subsidio, miramque Vincentii in se benignitatem extollentibus in cælum, alterumque suum parentem, certè quidem corporum suorum animarumque

rumque servatorem appellantibus. Ipse autem collatâ magis, quam vel illæ vel alii egentes acceptâ ex ipso ope gestiebat. Præsertim quod Dei locum hoc in munere sibi tenere videretur, cui Propheta Regius, *Tibi, inquit, derelictus es pauper; orphano tu eris adiutor.* Neque lacrimas ex intimo sensu commiserationis fratrum (sic pauperes vocabat) erumpentes continere valebat. Ceterum effecit aliquando, ut sententia in reum pauperem pronunciata mutaretur, affirmante, qui ad ejus causæ cognitionem delegatus fuerat, judice, id non tam rei quam Vincentii gratiâ à se factum. Alias cum vir quidam nobilis de melioris notæ propria calmitatis venisset, ut non haberet quo vitam toleraret, Vincentium ut ad se veniret rogari jussit. Adfuit hic illico, & præterea petitum abs eo pecuniarium subsidium peramicè contulit: authoritatem quoque ac preces, ut expediretur in illius gratiam magni momenti causa, cuius evictio non mediocriter eum sublevatura erat. Nam è vestigio atque à congressu cum misero, consilio cuidam probo & sibi intimo illius

A a 5 causæ

causæ judici rem commendavit. Qui stariam eam à se expediendam pollicitus, in promissi pignus Vincentio non modicum nummorum numerum juvando interim inopi dedit. Quoniam verò ad integrum promptamque negotii confectionem, opus erat authoritate Præsidis Consilii Regii, & operâ cuiusdam Libellionis, ambo (tametsi domiciliis remotos) eodem ipso die (tametsi malè affecto esset corpore) per se ipse adivit; tamque eloquente misericordiâ rem egit, allegans & se & Deum pro isto officio obnoxium illis fore, ut ex ipsius & viri nobilis voto causa brevi expedita sit. Nimirum facile & brevi evincitur causa, quām vera charitas perorat.

Nulla
fui cō-
modi
fraudis-
ve pe-
tentiu
stipem
habita
natione

Quæ quidem charitas è potentior & in Deum & in homines extitit, quò minus comodis suis studebat. Enimverò nec umbram, nedum scintillam cupiditatis rerum humanarum ferre poterat; compendium suum ratus aliis opitulari; detrimentum, sua venari. Certè æde Nostrâ Neapolitanâ flammis, ut diximus, cum ingenti jactura deformatâ, oblatâ sibi à Prorege copiâ rei è carcere eximendi,

mendi, unde non minus quater mille aureis colligi ad illius reparationem poterat, grates quidem egit pro tam munifica humanitate: sed de exemptione nihil ultra non modo locutus, sed nec sibi in mentem venire passus est. Donec Prorege Circumcisionis Dominicæ festâ luce ædem illam ingresso, ultróque mentionem condonationis illius ingerente, Vincentius, *Quando, ait, Excellentia Tua aliquem reum mihi donare dignatur, hunc peto* (pauperrimum nominabat, cuius captivitas familiæ suæ non majus incommodum, quam periculum crebat) attonitusque Prorex tam heroïca charitate, miserum eodem ipso die, ære alieno ac carcere liberum, ei misit. Comparabat ad mortem opulentum Dynastam, & hic Vincentii arbitrio amplum prædium permittebat, afferens insuper gratum sibi fore, si illud cuipiam è Domibus nostris addictum vellet. Ipse ne suspectum redderet officium illud Charitatis, moribundis adeo opportunum, quasi unà cum animarum salute commodum suum Societas aucuparetur, & prædium oblatum repudiavit, & ne teruncium quidem ex-

inde

inde admisit. Multò proniùs rejecit ornamen-
tum locuples altaris, sibi missum
à filio nobilis viri ære alieno oppressi.
Confestim igitur remissum censuit sol-
vendis parentis nominibus impendi oportere.
Quod si renueret, monuit manus
tamen ab eo abstinere se velle, satis gna-
rus non tam offerentis esse, quām credi-
torum. Emicabat quoque in Vincentii be-
nignitate hoc alterum decus, minus qui-
dem in vulgus probabile, sed tamen exi-
mium, quòd licet haud pauci ex egenti-
bus eliciendæ ampliori stipi varia fraude
miserias ementirentur, quam fraudem
haud ægrè potuisset deprehendere, nihilo
minus beneficus in eos esset, allegatâ
Apostoli sententiâ : *Charitatem omnia
credere.* Quondam Janitor noster aliquo
ex ejusmodi simulatoribus observato, qui
fraudem intolerandâ importunitate ma-
gis invisam reddebat, Vincentio persua-
dere conatus est, indonatum ut dimitte-
ret : ita enim dedocendum illum frau-
des, & exinde ceteros, ejus repulsâ. Cui
reposuit ipse, sufficere illi, quòd Numinis
gratiâ stipem eroget: Dum Christus in
pauperes benignitatem præcepit, non
distinxisse

VINCENTII CARAFÆ. Lib. II. 381
distinxisse veros à fictis. Præstare porrò
centies ab his decipi, quām semel uni
verè calamitoso deesse. Aliàs alteri ex
nostris dum conspeeto uno ex iis men-
dicis, qui nudi ac trementes in compitis
jacent, objiceret hoc hominum genus
non raro mutilos se, & ulcerosos callidè
simulare, inertiae fovendæ studio; miti
severitate ipse occurrentis, *Quis te*, ait,
constituit iudicem? Dō verò si qui stipem
petit, fallit, magis eum falli, qui ne falla-
tur, eam denegat. Nam denique qualis
qualis sit ille cui donatur, Christum stipem
accipere.

C A P U T I X.

Vincentii in DEV M caritas eximia.

A Caritate in proximum, gradum
facimus ad caritatem in Deum.
Quamquam & prior illa caritas & cete-
rarum virtutum decora, & quidquid de
Vincentio vel dixi, vel dicere possum,
huic posteriori, omnium quippe reginæ,
eius imperio, impulsibus, & auspiciis
agebat

agebat omnia, possint adscribi. Ita licet
divina Sponsa in sacro Epithalamio jam
foror, jam bellatrix, modò hortulana,
modò vinitrix, tum venatrix, tum alio
habitu pareat, audiátve, tamen semper
amantis personam gerit, unumque &
idem sub vario schemate semper agit,
sponso ut placeat. Ac Vincentii quidem
perennitatem amoris luculentè demon-
strat jugis memoria & quidam amplexus
præsentis Numinis. Est enim illa carita-
tis divinæ parens, & simul partus: quan-
do nihil tam facile Dei gignit amorem,
quam perpetuus summæ illius bonitatis
conspectus: & qui amat, de deliciis suis
cogitet, necesse est. Porro Vincentius
jam inde à pueritia perenni Numinis
memoriæ, mentem assuefecit: & ut sen-
sus quoque, præter genium suum, ejus
imagini effingendæ famularetur, à tiro-
cinio solitus erat objicere oculis hæc
verba: *Præsentia Dei.* Quam artem Ju-
nioribus, aliisque amandi neandum satis
peritis, suadebat, usque dum animus suo-
pte impetu in Deum feratur. Ceterum
hac exercitatione, divinoque simul sub-
sidio adeo hoc in genere prædictus est;

ut

ut jam velut insita insculptaque menti
Numinis recordatione , distrahendus
identidem ab illa esset, & opere externo
distinendus, ne nimia assiduitate incom-
modaret valetudini. Et tamen in eo ipso
opere, atque in familiari cum aliis con-
gressu , clausis tantisper oculis ardebat
illi vultus, erumpabant violenta suspiria,
animo utique tamquam nativa propen-
sione in Deum emicante. Quod si ali-
quanto spatio mens sibi Deoque per-
mitteretur , crebrò usuveniebat, ut ei ad
rem, atque ad præsentes, quibuscum res
erat, revocando, agitandum corpus esset;
tam facilè fortiterque cælestibus inhæ-
rescebat, humanorum immemor! Equi-
dem satis constat eum ad supremum hu-
jusmodi cum Deo consuetudinis decus
pervenisse: nimirum ut quemadmodum
audiendi facultas non nisi sonum ; gu-
stanti , non nisi saporem percipit; lux
autem, figura, color, & cætera, non magis
illas afficiunt, quam si in rebus non es-
sent: ita ejus mentem non nisi Deus ac
divina movere atque occupare possent.

Aiebat porrò assiduam illam Numinis
recordationem esse quoddam Justitiæ
originalis

*Ardenſe
que ſtar
diū illi
ſoli plaz
cendi*

originalis supplementum. ut enim hæc
sensus & affectiones rationi, rationemque
divinæ voluntati subjiciebat, cum præci-
puâ quâdam voluntatis voluptate, in
summo suo bono ac fine acquiescentis:
sic Dei præsentis memoriam arcere ab
animo, quidquid illi non probatur, &
quidquid probatur ac placet, suggerere,
ac persuadere tam forti suavitate, ut
etiam quæ naturæ adversa sunt & gravia,
amanter jucundèque amplectamur. Et
hoc ipse usu Magistro didicerat. Fateba-
tur certè quidem ingenuè, nullam hac
in vita voluptatem aliunde haurire se
posse, quam ex re, qua gratiam Numinis
demerere fas sit. Et cum S. P. N. Ignatii
vitam suæ normam statuisset, summiique
faceret singulas ejus partes; hanc tamen
heroicam animi illius constitutionem,
quam describit Petrus Maffei hisce
verbis, *Nihil habebat humani, quo ani-
mam posset relaxare*, maximè quidem in
mente, sed & frequenter habebat in ore.
In quo ita Patrem filius imitabatur, ut
verè diceret, se statuæ instar manus qui-
dem & oculos habentis, sed tamen fa-
cultate sentiendi destitutæ, rebus hujus
fæculi

sæculi minimè tangi, minimè delectari. Addebat autem tantâ se cupiditate incensum voluntati gloriæque divinæ obsequendi, ut si justa dubitandi ratio se offerret, an id quod ageret, esset è majore Dei gloriâ; per medias ruiturus esset flammas, ut certi aliquid hoc in genere comperiret: sed obedientiæ ope omne illud dubium procul abesse. Insuper si scisset aliud vitæ institutum opportunius sibi esse ad virtutem, ne momento quidem temporis illud prehensare cessatum, aut arripere, etsi fuisset ejusmodi, ut sectatores suos ad perpetuas in sepulchro latebras extra solem & commercium humanum alegaret. Hic quoque constans erat animi illius sensus, quem non raro sociis prodebat, nisi vitæ huic præsenti solatium ab amore Numinis supppereret, atque à studio illius gloriæ, illam morte ipsâ sibi intolerabiliorem fore. At amorem illum tantis circumfluere deliciis & gaudiis, ut amara etiam cruciatuum, & laborum aspera, divinâ suavitate permulceat: eò maximè quod amor patiens, fortior, castiorque esse solitus fit, quam agens. Ita singulariter eum delectabat aspera

B b

Maxi-
mè in-
ter ad-
versa &
aspera

lectabat contemplari Seraphinum Christi
stigmata plagásve corpori animoqué S.
Francisci imprimentem. Cùm enim for-
mam crucis habitu suo redderet , atque
adeo crux esset Seraphica , doceri nos eo
mysterio , patiendum amando , & aman-
dum patiendo : nec nobis minus Sera-
phica caritate , quàm morbo languen-
dum esse. Quod judicium suum aptissi-
mè prodidit hac occasione. Quondam
sermo erat de peste, fuit, qui diceret
pestiferam tempestatem cæli æstatem el-
se, & verò opimam messem Christo in ea
colligi. Etenim mortem à lue subitam &
inopinam expergefacere animos , salutis
alioqui oblivious , ut noxas confessione
expient ; fortassis ultimâ , atque adeo
maximè seriâ & integrâ. At profectò
ejusmodi mortem omni destitui solatio ,
etiam intimorum, eoqué duram ac per-
horridam , & sibi quidem hoc præsertim
nomine minimè videri optandam. Tum
Vincentius , Aptè, ait, *¶ ex vero dixisti,*
si quidem postremum exceperis ; nam opti-
mum , ¶ mibi sane omnium , quæ in illo
mortis genere insunt , maximè expetendum
videtur , omnibus destitui , ut in eā rerum
omnium ,

omnium, & solitorum inopia Deum unicum inveniam, & in eo omnia.

Erat porrò illa integritas amoris illi
adeo cordi, ut nec cogitationes rerum
humanarum, nec vitæ sacerularis imagi-
nes, quales aula furtim vel invitis impri-
mit, ferre ullatenus posset. Incredibile
enim est. quanta sollicitudine eas animo
excuteret. Quare identidem iterabat
institutum illud Sancti Eremicorum, qui
conspectis eminus mortalibus, ad se in
eremum venientibus, quanta poterat
contentione inclamabat: *Recedite, rece-
dite: nam si ad me accesseritis, Angeli
hinc a me recedent.* Indeque ducebat
utile Religiosis hominibus documen-
tum, deserit animam à Deo, destituique
præsentia ipsius suavitate, dum simulacra
rerum terrenarum incuriosius admittit.
Auditis quondam Religiosis profana me-
morantibus, collegit ipse se, auribus
animoque ab iis nunciis averso: tum sub-
jecit, se quidem gratulari illis, & simul
mirari homines virtutis studiosos, adeo
capax habere pectus, ut mundum ad-
mittere possit, non excluso Deo: fateri
se ingenuè sibi tam angustum esse, ut

Sinceritas
ejus
amoris
magis
explica-
tur

Discus-
sa omni
sæculi
imagi-
ne ex a-
nimis

Bb 2 alter

& desiderio
rerum
condit
tarum

alter alteri cedere cogatur loco. Stupore autem dignissimum existimabat, uti revere est, plerosque mortales totum, ut aiebat, abjicere præ particula minima: Deum, inquam, præ reculâ terrenâ, præsertim cùm hæc longè nobiliori modò extet in Deo. Ipse itaque alia omnia sentiens, non modò hujus amori posthabebat omnia, sed eum volebat esse ejusmodi ut si præter Deum nihil omnino existeret: quemadmodum ante orbem conditum. Hoc enim posito, omnem nostrum amorem soli Deo adhæsurum esse, nulla illius particulâ ad res conditas derivatâ. Cujus felicitatis cùm sibi conscientius esset, subinde incredibili gaudio delibutus hæc succinebat. *Deus & ego, ego & Deus.* Sed neque hîc sistendum ratus, sic amandum censebat Deum, perinde ac si ne nos quidem in rebus extaremus, solusque ipse in amore posset spectari. Utique bonitatem illius pulchritudinemque immensam totum, quantus quantus esse potest, amorem nostrum jure suo exigere, nulla illius nobiscum communione: reliqua verò nec optari nec amari posse, nisi Dei causâ; voluntatémque

tatemque nostram ad divinam non secus
accommodandam , ac si aliud velle , aut
amare nequiret , quam quod vult amá-
te Deus : atque adeo quasi nullo nostri
respectu duci possemus. Qui charitatis
apex Theologis mysticis supremus est ,
potiusque Cælitum , quam mortalium.
Cujus quidem exempla plurima referre ejus ex-
liceret , si liberet prolixioribus esse ; sed ^{empla.}
ex uno alterōve satis hominem noveris.
Rogabat Vincentum vir nobilis , ut sibi
in aliqua causa adesse vellet. Non abnuit
ille hactenus. at cum pondus precibus
ut rebatur additus, bina aureorum mil-
lia penes se esse parata dixisset in bene-
ficii , quod petebat , gratiam , illico refri-
xit Vincentius , ut si alter quispiam inju-
riam à supplice accepisset. Quod & alias
accidit , cum alius simili occasione , ab-
solvendo cuiusdam Collegii ædificio sum-
ptus promisisset. Quin & sollicitè quæ-
rebat , quibus benefaceret , non tantum
extra spem cuiuslibet commodi ; verum
etiam actionis gratiarum. Malè namque
repeti ab hominibus , quod Deo omnino
dederis. Itaque amori suo nullum aliud
proponebat præmium , quam accessionem

B b 3 amoris

amoris, quodque alter quidā, hoc & ipse ex animo dicebat: *Amo, quia amo; & amo, ut amem*: nec aliud quidquā, tametsi milles amplius vel tulisset vel egisset, sibi proposuisset. Hic igitur unicus illi thesaurus quærebatur castissimus Dei amor. Quocirca jucundum erat eum audire frequenter repetentem hæc ultima verba orationis cuiusdam à S.P.N. Ignatio compositæ, & continenter repetitæ: *Amorem solum tuum mibi dones, & dives sum satiis*: Ex qua hoc maximè carmen, *& dives sum satiis*, cum intimo animi sensu iterabat: tumque revolvebat animo, & iterum vultu spirante hilaritatem sublatis in cælum oculis recinebat: *& dives sum satiis*. Quippe probè intelligens nimis esse avarum, cui Deus non sufficit: nimisque fatuum, qui eo, quatenus hîc licet, per amorem possesto non exultat.

Eapropter mortē optabat.

Propterea ut pleniùs eum possideret, atque adeo ut amaret purius, toto cordis impetu anhelabat ad mortem. Quod desiderium viros Sanctos incessere solet, sàpè utique expertos, sàpè experientes animum hâc in vitâ non nisi vi viam sibi facere per phantasmatum nubila, ad Numinis

Numinis contemplationem, eāmque caligini semper immistam. Hinc enim fit, ut amor, notitiæ proles, matrem imitatus, lentus sit & elanguidus: qui languor amori ipsi odiosus est: ideoque *dissolvi animam* cupit, & esse cum Christo. Vincentius quidem approbando suo desiderio, sic disputabat: Animam inter corpus Deumque medium esse. uti corpus ab animâ, sic animam à Deo accipere vitam: Atqui si corpori vis ratiocinandi inesset; vide-retque se animæ parum conjunctum, non nisi extraneo impetu moveri, nec nisi evanida adscititiâque specie coloréve imbutum esse (id quod corporibus evenit, quibus Angelus tantum assistit, ut loquuntur scholæ) quantâ contentione ad perfectum cum animâ nexum aspiraret? non igitur minori animam ad arctissimum cum Deo, vitâ utique suâ immortalî & beatissimâ, vinculum ferri oportere. Quare in hac ab eo divulgatione Vincentius assiduis acribusque desideriis æstuabat, & amore amoris illius cœlestis ac purissimi magis magisque in dies inflammabatur. Et profectò contabuisset, nisi solatio fuisset ejusdem Dei

Bb 4 voluntas,

voluntas, manere illum in vita exilio
jubentis. Verumtamen cum subiret ani-
mum identidem illa Cælitum felicitas
clarè intuentium fontem omnis boni, &
pro notitiæ portione eum adamantium,
emicabat ille, eminebatque velut à cor-
pore avulsus, & desiderio cæli perci-
tus, & oblitus brevis hujus vitæ, profluen-
tibus interim lacrimis præ animi æstu,
Superis inscrere se videbatur. Sic Petrus,
inflammata voluntatis gerens figuram,
statim atque Salvatorem conspicatus est,
Joannis, qui ejus notitiam repræsentat,
naviculam nihil moratus, prosiluit in
mare, atque ad Christum evibravit sese.
Sic ignis terrena mole conclusus viam
sibi sursum vi facit. Quocirca non pro-
babat in se illud itidem aliorum Sancto-
rum hominum desiderium longam vitam
brevi præoptantium, ut meritis cumula-
tis celsiore in cælo gloriam adipiscan-
tur. Denique tanti illi erat perfaci Deo,
in eumque pulcherrimâ metamorphosi
transmutari, ut quot momentis retar-
dabatur, toties coeli jacturam facere vi-
deretur. Jacebat in Domo Professâ Fra-
ter quidam æger. is principiò tantâ
oppressus

oppressus est mœstitiâ , ut verbum ex illo exprimi nequiret. Accersiri cupiit Vincentium , cùmque illo diu sermocinatus , incredibili gaudio , cuius etiam testes notas facie referebat , perfusus est. Illud autem inde enasci dicebat , quòd brevi esset moriturus. idque non modò sibi impetratum divinitus à Vincentio , sed etiam prædictum. Et vaticinio fidem fecit eventus , præter omne mortis vicinæ indicium & opinionem. Porrò vehementer ab eo flagitaverat vir Sanctus , ut cùm primùm divino conspectu beatus esset , Deum & ille precaretur instanter , ut ipsum quantocyus ad se evocaret . enimverò ingens videndi illius , castissiméque amandi desiderium minimè amplius se posse ferre. Quam sanctā violentiā dissimulare nō valens , cùm ad faciendum sacrum Albâ sacerdotali se induens , orationem appositam pronunciaret ; ultima hæc ejus verba ; *gaudiis perfrui merear sempiternis* , cum frequentibus suspiriis vultuque in cælum erecto , non semel repetebat. Et alias , ut superiùs diximus , cùm quis è domesticis vitâ decederet ; sortem illi suam non tacitè invi-

Bb 5 debat,

debat, & pericula cladis aut mortis suæ, januas beatitatis interpretabatur.

Porrò non difficile est ex hactenus hīc dictis intelligere; quo animi sensu, quo corporis habitu publicè privatimque de amore (quæ sermonum illius materia esse solebat) cum aliis ageret. Nimirum toto vultuflammam, oculis ignem, toto corpore amorē præferebat. Verba deerant, quibus animi sensa, vividosque affectus exprimeret. Quatuor illi, & viginti amoris gradus, in quos Beatorum Charitatem partitus est: liber etiam ab illo scriptus, inscriptusque, Seraphim, (quem clavis cellæ fenestræ, in ipso amoris divini exercitio meditatus est) adumbrationes quædam sunt, non expressæ imagines sensorum Vincentii de amore; & alieno potius quam proprio usui destinatae. Tam sublimis tamen erat in congressibus familiaribus, ut, quod de Bernardo ferunt, alii eamdem divini amoris artem professi, eum assequi non valerent: Exhortationes porrò quas ad Nostros habebat, ex amoris natura excellentiaque potissimum petebantur (quales nempe apud viros Religiosos maximè valere decet)

quarum

quarum characterem ex epistolæ illius
 tum Provincialis, ad universos Provinciæ
 Neapolitanæ Patres scriptæ clausulâ col-
 ligere licet. Sic igitur habet. *Adiiciam* „
breviorem, expeditiorem, efficaciorēmque „
renovandorum votorum (de hac enim re „
 propriè scribebat) imò *&* totius vitæ „
corrīgenda rationem. *Omni curā studiō-* „
que vacate amori divino. *Si vel sola Dei* „
caritas cor nostrum occupet, omni labe „
vitiosi amoris illud expurgabit: Continuō- „
que inficeret illi religiō& paupertatis, casti- „
tatis & obedientiæ studium. *Cor purum,* „
authore Augustino, est cor vacuum omni „
cupiditate: siue liberum amore terreno- „
rum, propterea quod Bernardo teste, qui „
amat, amat, & aliud cupit nihil. *Quis-* „
quis certè amorem Dei possidet; tantum „
thesaurum possidet, ut nullam ex rebus „
conditis degnetur amore. *Quare cor pu-* „
rum, non vacuum dumtaxat, sed & ple- „
num est, cælo plenum, Deoque, denique „
rebus omnibus, quas quidem ex iudicio „
sibi possit optare. *Et verò quî fieri queat,* „
ut compendia terrena quæramus, si cæle- „
stem opulentiam revera desideremus, ac „
obtineamus. *Quomodo rerum procreatarū* „
illecebris

„ illecebris capi nos finemus, si non deficiant
„ deliciae Procreatoris? Quam vim habebis
„ in nos ambitio huius saeculi, si expendamus
„ ad dignitatem germanorum Dei filiorum
„ nos esse proiectos. Audiamus, queso, re-
„ putemusque primariam banc veritatem.
„ Conditi sumus ut Deum Conditorem no-
„ strum amemus; atque ut maiorem in mo-
„ dum amemus, in Societatem FESTU, qua
„ amoris schola est, adlecti sumus. Conside-
„ remus, quo studio, quantave animorum a
„ rebus conditis ab alienatione ad hunc fi-
„ nem contendamus, quo ve fructu in hac
„ amoris palestrâ sumus adhuc versati.
„ Cum enim in ceteris disciplinis modo post
„ annum exactum, modo post menses aliquot
„ de inferiori classe gradus ad superiorem
„ fiat, pareatique ad oculum profectus disci-
„ pulorum in dies: An nos huiusmodi no-
„ stros in hac disciplinarum disciplina pro-
„ gressus ad scientiae omnis finem, amorem
„ videlicet Numinis purum ac sincerum
„ agnoscimus? Si consuetudine agendi, ex
„ virtute, virtus ad perfectionis culmen eva-
„ dit, quidam frequens est consuetudo nostra
„ Numinis amorem testandi? Profectò ex
„ Sanctorum hominum sensu, toties aspi-
randum

randum nobis esset ex amore, ad fruen- „
dum summo illo bono, quoties auram „
hanc respiramus. Ut minimum ergo „
actionum nostrarum prima, media atque „
extrema suis quæque temporibus, ex „
amore sincero consecranda sunt Deo. „
Supplicemus itaque illi pro hâc gratia „
obtinenda, idque hac brevi, sed succo „
plena S. Bonaventuræ oratione: *Abscedat* „
vanitas, accedat Divinitas; transformet „
charitas, & totus fiam divinus. Hacte- „
nus Vincentii epistola.

C A P U T X.

*Eiusdem innocentia vita & nitor
animi.*

CARITATIS in Deum fœtus ab ea di- Ex Dei
velli nescius, est metus apud illum amore,
offendendi: duóque ista pari gradu pro- vitæ in-
cedunt, studium unicè Deo placendi;
curáque minimè displicendi. Ex his por- tegritas
rò naturæ sponte existit vitæ integritas,
sui diligens observatio, animique facili-
tas, partim ad deflendas, partim ad ca-
stigandas non leviter utcumque leves
culpas, imò & culpæ imagines ac umbras,
neque

neque tamen in eo fletu pœnâve acerbitas inest; sed contrâ suppares cælestibus deliciæ. Siquidem ab amore nihil nisi delectabiles, eoque magis, quo ille major. Atqui cura hujusmodi non ex metu servili pœnæ peccatis propositæ, nec aliunde, quâm ex insigni notitia bonitatis Dei immensæ, orto que hinc non impari amore proficiscitur, quippe qui amoliatur cuncta, quæ se interpellare natæ sunt. Fuit porrò Vincentii integritas

In Vin-
centio
insignis

vitæ admirabilis. Testis locuples vox una eademque omnium, qui eo familiariter usi sunt, quibusve patuit ab ineunte ad devexam usque ætatem, confirmantium spatio annorum quatuor & quadraginta, quibus in Societate vixit, nihil in eo, quod noxæ levis speciem haberet, etiam ab observantibus comprehensum fuisse. Quin etiam extra primos ictus pravarum affectionum esse videbatur: quamquam illis Sancti quoque obnoxii sint: quandoquidem rationi anteverunt, ideoque citra culpam. Quæ res consuetudinis cum illo metum, ne dicam horrorem nonnullis domestico-rum ingenerabat; nempe quod negligenter

gentiæ suæ consciens tantus animi nitor
 tacitè reprehendebat, præterquam quòd à noxiis
 usu didicerant eum lumine plusquam ^{veniali-}
 humano cordium intima penetrare. Ce-
 terùm, uti habeo ab aurito teste, binas
 noxas fatebatur à se deliberata volunta-
 te admissas in juventute, quas proiectior
 præ reliquis totius vitæ deflebat. Sed ea
 confessio innocentia illius eximiæ pro-
 fessio est, innumeris testimoniis potior.
 Inter lustranda Provinciæ Neapolitanæ
 Collegia, Massæ (locus est illius Provin-
 ciæ) in morbum incidit: ibi dum solus
 agit cùm nepote suo, nostræ itidem So-
 cietatis, eiique mentis arcana de more
 familiariter aperit; memorat inter alia
 se juniores duas noxas destinatione vo-
 luntatis admissæ, quas jam proiectior
 maximè omnium defleat. Priorem, quòd
 studiis ob invaletudinem intermissis, cùm
 Româ Neapolim rediret, solâ animi cau-
 sâ, equum quo vehebatur, ad celeriorem
 gradum incitarit: posteriorem, quòd ja-
 nuâ cellæ Patris cuiusdam amici sui pul-
 satâ, subtraxerit se illico, ut egressi ad-
 mirantisque habitum, nemine invento,
 ipse ex abdito observaret. Quæ grandia
 scilicet

scilicet crima cùm narrasset, tum hilari vultu addidit se (quæ gratia Dei esset) non meminisse violatæ à se postea sponte ullius legis Societatis: non modò non admissæ culpæ. Ceterum leviculæ illius subtractionis suæ, non leves pœnas Deo , & merentem quidem dedisse, subtractis aliquamdiu consuetis animæ suæ solatiis, dulciique succo orationum. Cujus pœnæ caufam attulit sua ipsius virtute dignam: quòd cùm vita ipsi ducenda semper esset, qualem inter exercitia spiritualia duci oportet, ipse profectò tali tempore talem levitatem ausurus non fuisset. Quo etiam pertinet, quòd alias identidem aiebat: Si Societas J E S U in orbe non extaret, reperireturque aliquod institutum religiosum, in quo ad normam S. P. Ignatii mens perenniter exerceretur, illud se amplexurum. Quare nihil mirum, si cùm sermonibus, in speciem otiosis ac inutilibus intererat , animum intra se colligeret ab iis abductum : multoque minus, si aliorum vitiis etiam publicis memorandis, exemplo S. Parentis nostri, abstineret: cumque factum nequibat; animum excusaret, ipso pravitatem suam

non

VINCENTII CARAFÆ. Lib. II. 401
non obscuris indiciis prodente , violen-
tiam accusaret turbulentæ animi com-
motionis (quæ quò majorem impetum
facit in voluntatem, eò plus libertati de-
trahit, & simul culpæ) ac denique his
excusationibus bonas ejus, qui culpaba-
tur, dotes aggereret, quas laudari magis
deceat quàm vitia vituperari. Ita cùm
aliquando sermo incidisset de homine ,
qui à fôrdibus avaritiæ malè vulgò au-
diebat, Vincentius instituti sui memor,
etiam iis fôrdibus materiam laudis invê-
nit: ut enim parerent illæ, tamen animi
conatum insitæ à naturâ tenacitati resi-
stentis soli Deo cognitum esse. & se qui-
dem habiturum Deo grates, si ejusmodi
propensionem (utpote virtutis anſam)
fortitus esset. Postremo quo esset ani-
mo in peccata etiam levia , luculenter
ostendit in quadam apud ægrum dispu-
tatione. Generalem agebat, & quæ-
ſtio erat longâne an brevis vita homini
religioso esset optabilior. Et erat qui
longam præferret. Quippe ad Præfidis
arbitrium ducendam, eoque perennis
meriti, & immensæ gloriæ feracem. Ego
verò, subjecit Vincentius, pro vita brevi

Cc

ſto;

sto; malimque excidere spē maximæ gloriæ,
quād vel semel apud Deum Opt. Max.
offendere. *Quis autem vitam longiorem à
peccatis præstabit immunem?* Et verò
bac ipsa de causa Pater Marcellinus Al-
bergatti Rector Florentinus, vir omnino
sanctus, famulandi peste infectis copiam à
Moderatoribus petiit, & in eo caritatis
officio vitam posuit. ita Vincentius ex
Sanctorum Philosophia, cuius celebre est
axioma. *Quemadmodum ad Deum nul-
la sunt cætera;* ita illius malum seu offen-
sam atque injuriam pluris ceteris seu bo-
nis seu malis æstimandam esse.

Età Re-
gularū
Socie-
tatis
viola-
tione

Sed illius nitor minores quoque pec-
cati maculas horrebat. Etsi enim Socie-
tatis JESU Regulæ nullo Socios peccati
vinculo illigent, tamen, ut fassus est,
nullam earum umquam sponte violavit.
Quodque meritò suspicias, non se ulla
lege eximebat, cùm per authoritatem
posset, nec sinebat eximi, licet non
deesset causâ eximendi. Quare quan-
tiscumque occuparetur negotiis, seu cùm
præpositus aliis esset inter itinera suo-
rumque curam, seu cùm subjectus in mi-
nisteriis ad proximi salutem suscep-
tus, numquam

VINCENTII CARAFÆ. Lib. II. 403
numquam de tempore orationi , con-
scientiæ examini, lectionique rerum spi-
ritualium destinato, vel momentum de-
traxit. Et si quando necessitas ad ea in
aliud tempus differenda adigeret, dum
licebat , cum fœnore pensum reddebat.
Lex Societatis aliqua præcipit, ut subjecti
omnes per tempus earumdem exercita-
tionum inspiciantur (numquam enim
tuendo spiritui religionis contra naturæ
fraudes nimium cayetur) Vincentius
cùm se in hac inspectione prætermitti
animadverteret, apud Præsides conque-
stus, velut eximum se haberi, cum voti
compos factus non esset, arte nova effe-
cit, ut facile inspici posset : cubiculum
nempe id temporis apertum reliquit, ut
transcuntis inspectoris pateret oculis. Pla-
cuerat RR. PP. Benedictinis testandæ in
Societatem benevolentiaæ , Juniores no-
stros ad villam suam invitare tantisper
recreandos. Jámque perhumaniter ac-
ceptos religiosa merenda reficiebant;
quando vescentibus cæteris , Vincentius
seorsim stans in pedes , siccus & jejunus
inventus est. rogatur ab aliis, cur cari-
tatem istorum Patrum sibi gratam non

Cc 2 ostendat

ostendat pariter comedendo. Respondet ingenuè, non venisse sibi in mentem antehac hujus merendæ, multò minùs veniæ, ut eam suineret, petendæ. Docetur omnibus communiter esse factam, tumque continuò reliquis assidet, vesciturque: Benedictinis duplex illud exemplum, obedientiæ, facilitatisque, cum approbatione mirantibus. Cùm privatus esset, numquam, etsi rogatus, litteras ad se missas resignavit, licet post gestas Præpositi Domus Professæ, Provincialisque præfecturas, Præsides ejus meriti virtutisque respectu, obsignatas ipsisimè tradarent. Itaque si aberant illi, coram tabellario deferendas ad illos resignandasque Janitori dabant. Si aderant, rogabant, ut resignarent legerentque: oneri sibi ducens, non gratiæ, communi omnibus lege eximi. Quâ etiam de causâ cùm Sodalitio nobilium Equitum præfектus esset; numquam uti voluit annexâ huic muneri facultate, quotiescumque res ferret, cùm socio exeundi domo, sed toties veniam peculiarem petiit. Neque in apice autoritatis ac Magisterii constitutus, tantum umquam indulxit sibi, ut præter

etiam
cū Præ-
fidum
permis-
sū

præter regulas quidquam ageret cogitaretve. Quondam rei nescio cuius cogitationi immersus, dum redit è Tirocinio Romano Domum Professam, in eam à Etiam
 Socio, quicum erat, inductus est via breviore per templum, non per portam Gene-
 Domûs ordinariam: quod ut primùm talis
 animadvertisit, mœrens, & Socium incre-
 pans: *Ignoscat tibi Deus*, inquit, *an non
 leges nostræ disertè Domum per ianuam
 ordinariam nos ingredi iubent?* Eodem in
 munere Generalis paucis post electio-
 nem suam diebus cuidam ex PP. Electo-
 ribus, meritis in Societate claro; quid-
 piam minoris quidem momenti conce-
 ferat, haud solitum tamen concedi. Re-
 perpensâ inter orationem matutinam,
 facultatem illam censuit non satis è re
 Societatis publicâ futuram. Itaque ne
 aliis fraudi esset; non exspectato oratio-
 nis horariæ fine, ad Patrem illum con-
 tendit, magnaque cum veneratione,
 demissioneque rogat, ut æqui bonique
 consulere dignetur, si veniam sibi datam,
 et si meritis longè imparem, revocare
 opus sit. Enimverò gratificari ipsi non
 posse, nisi Societas damnum aliquod

Cc 3 patiatur:

patiatur : in qua nimirum (quemadmodum & in omni cœtu) gratia uni facta, multis pro injuria est, cùm gratiæ vel capacem, vel, si ita loqui licet, merentem nemo non se ex facili fingat. Ceterum non modò divinæ humanæque legis violationem , etsi levissimam , sedulò vitabat Vincentius, sed etiam liberæ piæque consuetudinis. Quocirca ne varietas ac multitudo negotiorum oblivionem illi induceret, dici quo mensæ vel culinæ inservire confueverat, etiam Rector certas sibi notas illius indices, sub oculos ponebat. Quinimò si quis ex illius recte factis ansam caperet vel iræ , vel pravæ alterius affectionis, ipse quasi culpæ reus sic afficiebatur. Ita cùm quispiam consiliis suis Deo parum probabilibus eum adversantem , litteris acerbitate plenis ultus esset ; vir pius illius, licet injusto, dolore mcerens, hominem in templo ob viam factum veniam rogavit; addiditque non dubitanter, nisi in oculis esset populi, in quo non decessent, qui præteritæ alicujus discordiæ causâ factum crederent, provoluturum se ad illius pedes, eosque deosculaturum. Cumque haud multo

multo post, à congregatione Provinciali electus esset ad subrogationem novi Generalis, Romamque cogitaret, eodem officiosè salutato, obsequium omne suum impensè obtulit, si qua in re Romæ usui esse posset. Sive ut innocentissimum animum ab omni maculæ suspicione liberaret, sive ut familiari Sanctis hominibus vindictæ genere injuriam beneficio compensaret.

Porrò par erat innocentia tantæ, Præsidiorum ejus adversus noxas ac vitia apparatus. Quantuscumque Theologiæ sidia mysticæ Magister audiret, & esset; adeo ut quidam post exactos in religiosa disciplina quadraginta quinquagintâve annos, ab eo regi in exercitiis spiritualibus cuperent, tamen suspectum habens quidquid suum jure dicere poterat, Præsidibus Præfectisque rerum spiritualium, notitii instar examissim parebat, ratus præter eorum arbitrium ne movere quidem pédem sibi expedire: quod parere semper tutum, suis momentis agi & agere numquam non intutum sit. Imò nullus erat, cuius censuram non optaret; quam ut obtineret, certum precum numerum

Cc 4 offere-

offerebat. Singulis item diebus Confessione Sacramentali animum expiabat, Singulis eum colligebat partim discutendæ conscientiæ, partim contritioni elicendæ. Quin & in singulas inquirens actiones, duo maximè indagabat; nempe quam earum partem vindicaret sibi Deus, quam ipse decerperet. Quippe amoris proprii indolem ac vestigia obscura novarat, miramque fallendi artem, non speciosâ tantum imitatione virtutis, sed mentis insuper ad cælestem mercedem intuendam applicatione; quem respectum generosa germanaque caritas refugit. Præterea, ut quantum mortalibus licet, omnis peccati expers foret, mane statim à cubitu, vesperi proximè ante cubitum, altè imprimebat animo hanc cogitationem: fortassis diem istam noctem ve postremam sibi fore, ut revera quilibet esse potest, simulque janua æternitatis: quocirca quam accuratissimè, quod reliquum erat, sibi esse peragendum. Ita cum aliquando à prandio laxaret de more animum: audito quendam è nostris brevi Sacrementis ad mortem piè obeundam, munitū iri, ore jucundissimo exclama-

exclamavit non semel, beatum illum esse.
Rogatusque gaudii tanti causam, respon-
dit ejusmodi nuncio exsuscitari sibi fi-
dem, spemque vitæ æternæ augeri: uti
alias dicere solitum diximus. Sed cùm
urgeret quispiam, scitaretürque, quid de-
mum acturus esset, si extemplo ipsi mo-
riendum, *Ego verò, ingenuè asseverantér-*
que dixit, non aliud agerem, quād quod
in præsentia ago: id est, animo relaxan-
do vacarem: non, inquam, aliud, quād
hoc ipsum agerem: ut appareat ita illud
& alia factitare solitum, quasi è vestigio
moriturum; neque verò sibi, à quo infici
posset amoris proprii contagio, sed soli
viventem Deo. Quæ res insignem fidu-
ciam ejus animo indebat. Quare cùm
affirmaret alias, singularis gratiæ loco sibi
fore, si in mediis agris, aut in vili tugu-
rio (ut S. Xaverio contigit) mortem ob-
ire contingeret: *At, excepit, modò casus*
bis ac mortis occasio ex obedientiâ, non
aliunde, non inquam ex meipso, consiliove
& causa humana profecta esset. Secus
enim mortis causa deterior morte, luctuo-
sissimumque mihi foret, privari solatio
mortis ex obedientia oppetendæ, quo

Cc 5 nihil

nihil gratus homo Religiosus offerre Deo
possit.

C A P U T XI.

*Vincentii orandi studium, & in-
tima cum Deo familiaritas.*

De
genera-
tum

ALTER divinæ caritatis vel partus vel etiam parens est, Dei divinorumque contemplatio. Quippe proposita menti cœlestium rerum præstantia & venustas, terrenarum nauseam facile creat, & animo jam vacuo depulsisque humanis desideriis, Dei capaciori haud ægrè Deum penitus indit: & insuper accessam à Deo, velut propinquo igne, amoris flammarum fovere nata est. Porro ipsa Vincentii infantia non obscura dedit argumenta non vulgaris illius olim in hac orandi arte progressūs. Ut enim ignis quantumvis exiguus, ut primū vivit, in cælum aspirat nec umquam deorsum sponte tendit: sic ipse, ubi rationis compos Deo vivere potuit, amoris igne incitatus, sursum in illum ferri sensit. Ita nullo nisi S. Spiritus magisterio didicit

didicit subducere se domesticorum oculis, & in aliquem paterni palatii angulum abdere, precibus amoreque divino liberius ut indulgeret. Et erat tanta precantis voluptas, ut horæ integræ, momenti instar fluere illi viderentur, velut à sensuum usu abstracto: adeo ut non nisi vi à precando posset avelli: Quæ quidem prærogativa tenellæ ætatis, non nisi letissimis animis evenit, quibus vitæ initium, osculum est cœlestis Sponsi, id est, intima dulcissimaque cum eo familiaritas, in cordis, ut mystici aiunt, loquace silentio. Exinde cum Vincentius Dei domum, id est religiosam familiam, ingressus est, continuo assidue contemplationis usu, ad eum hujus apicem pervenit, ut de Patrum veterum more, eam vocataret *otium in negotio*: vel contrà: *negotium in otio*. Quo loquendi modo indicatur mentem mediis etiam in negotiis divina quadam quiete perfungi. neque verò infirma corporis illius constitutio quietem illam ullo modo interturbavit. Nec enim sivit Providentia Numinis, ut voluntariis pœnis ejus causâ susceptis depravata valetudo, ejusdem amorem interpellaret.

terpellaret. Itaque æger æquè, ac valens emicabat erecta mente in Deum, velut solitus corporis vinculo: nec doloribus hujus vitæ retinebatur; qui longè plus liquidissimæ voluptatis in illo nancisebatur. Quamobrem dicere consueverat, *Carnem suam nec sibi prodeesse sanam, nec agram obesse.* Et verò dum morbo aliquo laborabat, frequenter in oratione inventus est genibus nitens, tanta firmitate, ut inde abducendo opus esset eum concutere. Adeo non eget corporis robore, quem divina vis amórumque, in Deum rapit.

Contē-
plandi
studiuū

Et quoniam S. Spiritus dona, atque ut loquitur Christus, talenta inertiam accipientium fugiunt; hoc ipsum contemplationis sedulò Vincentius exercuit. Ita summo mane (nam cæteris ocyùs è strato se proripiebat ut detractum somno tempus consecraret Deo) rebus divinis commentandis se dabat, & præscriptum communiter omnibus horæ tempus protrahebat longius. Interdiu autem, licet orationis spatium negotiorum multitudini gravitatique admetiretur, numquam tamén brevius pluribus horis illi impendebat,

debat, vel in conclavi, vel in secretiore
ædium parte, vel coram SS. Eucharistia
Sacramento. Missa porrò illi adjunctis
præparatione & gratiarum actione, non
minùs sesquihora durabat. Imò cùm no-
strorum tirocinium regeret, illam ad duas
trésve horas producere erat solitus: quo
tempore ferventioribus Novitiis ad sa-
crum ministerium utebatur, nempe ne
sui, Christique tam ardens holocaustum
ministri tepor, tœdiūmque violaret. Ce-
terū diei residuum tam alieno à rebus
humanis erat animo, ut non rarò sen-
suum operâ destitueretur: præsentia &
ante se posita, nec visu nec auditu per-
cipiens. Et quamquam ut plurimum eas cōtem-
platio-
nis ma-
teria
cogitationes volveret, quas Spiritus San-
ctus pro re ac tempore menti adspirabat:
tamen ne bonarum materia umquam de-
ffet, eam apparabat. Triplex autem erat,
litteris tribus ad faciliorem recordatio-
nem distincta. Prima nigra noxas, altera
rubra Christi cruciatus ac cruentam mor-
tem, tertia alba gloriam cælestem signa-
bat. Ad hæc, aspirationes ad Deum, &
veluti subitæ flammæ animi desiderium
illius ægrè ferentis, erat illi familiarissimæ

ac

Sacrarū
aspira-
tionum
frequē-
tia,

Et ar-
dor

Et va-
rietas

ac frequentissimæ. Quondam recitatum fuit super mensam , aliquem è Nostris plura millia ejusmodi aspirationum in singulos dies, stimulante præsertim amore emittere solitum. post mensam cùm mentio tantæ contentionis animi , tanti- que numeri fieret , & quispiam admirationem utriusque præ se ferret ! hanc ipsam admirationem Vincentius demira- tus est , quod censeret quemque nihilo minus hoc in genere præstare. Quam- obrem adjecit se quidem , licet omnium ignavissimum , numerum hunc crebrò prætergressum. Et tamen (ut annotavi in ejus adversariis) non alia erant ejus vota , quām purissimæ ardentiissimæque chari- tatis , O ! aiebat , *conflagrem* , ð liquefiam *Dei mei amore!* O utinam moriar præ Do- mini mei JESU amore ! O anime mi , quis te adeo beatum efficiat , ut confessim ex hac erumosa vita , aut morte potius , evoles in calum , in Deum , ut eum clare intuedaris . D^r tantum adames , quantum anima corpore soluta ! corpore heu ! quod amori huic nostro tantopere officit ! Hæc & alia tamquam amoris spicula ex intimo corde evibrabat in cor Dei , & sui mutuo amore illud

illud sauciabat. Præterea singulis horæ quadrantibus hanc medullitùs recitabat precem. *Gratias Deo d' Beatae Virgini, pro dono perseverantiæ mihi indignissimo peccatori usque ad hoc instans concessio. Sic ero in posterum usque ad finem perfectum; per sanguinem JESU Christi d' per Matrem Virginem mihi gratia concedatur.*

Amen. Quin etiam quando per urbem negotii officiique gratiâ ingrediebatur, nonnulla evolvebat rosariola, quæ ipsius pietas invenerat: quorum unum ad laudem SS. Trinitatis, alterum ad Immaculatæ MARIAE, tertium ad SS. Angelorum opem implorandam referebatur: quæ quidem, & ejusmodi alia, voce ut plurimum recitabat; interpositis tamen subinde precibus sola mente conceptis. Denique cùm ad januam Domus aut Collegii vocatus ibat, apposítâ isti viæ ad mensaque precatiunculâ attinebat animum; ne vir divinus vestigium ullum momentūmye temporis sine Dei amore abire sineret. Quippe cælesti animæ, ut Deus vitæ, sic illius amor caloris vitalis instar est. Quemadmodum igitur corpus non magis calore isto, quām anima carere potest:

potest: ita nec anima ejusmodi vacare
Dei amore.

Conte-
platio-
nis ejus
suavitas

Solet autem amori comes esse gau-
dium, eo, quem ames, præsente: cum
igitur contemplatio Deum, quantum
mortalitas hæc capere potest, præsen-
tem animæ sistat, & propterea quandam
illi afferat beatitudinem; videndum nunc
porrò quanta in Vincentii pectus gaudia
inde manarint. Quamquam enim recon-
di consueverint ac suppressi in animi pe-
netralibus, nec satis capi, nisi ab expertis;
tamen etiam invito exundavere subinde
torrentis instar extra mentis alveum, fo-
rasque eruperunt: ut possent utcumque
à nobis cognosci. Solitus erat plus semel
in singulos annos ànimum de more exer-
cere S. P. N. Ignatii sacris commentatio-
nibus, quibus in synopsim à se redactis
non pauca de suo adjunxerat. Quamdiu
autem Novitiorum curam gessit, publi-
co id temporis prorsus abstinebat, ordina-
tisque nocte munera sui rebus, primo
diluculo secedebat in sacellum, intra mu-
ros quidem tirocinii, sed seorsim à turbâ
atque ad pedem montis situm: neque
hinc ante vesperam abscedebat. Porrò

in

in illius ingressu perinde, ac si ex Orbe
terrarum exiret; sic agebat; seque com-
pellans, *Euge, inquit, anime, dum hic eris,*
nulla te alia cogitatio occupet, quam tui,
Deique nulla res saeculi, nulla ex conditis
orantem interpellat. Tum verò erecto ani-
mo fortique ad omnia quæ suggereret
Deus, amplectenda, *Ecce adsum, inquie-*
bat: & exemplò divinis immergebat
sese. Quaterque intra diem non ad cle-
psydræ horariæ fluxum, sed pro spatio,
quo vis & impulsio divina ejus animum
agebat, inhærebat contemplationi: cuius
ut naturam exprimeret, modò eam in
suis ephemeridibus, vocat *actionem passi-*
vam, modò passionem activam, qui gra-
dus in eo genere supremi sunt. Erat au-
tem tanta copia cælitùs effusæ in illius
penetralia suavitatis, ut raptus extra se
animus, nihil nisi Deum sentiret, & elapsa
hora momentum temporis, imò elapsis
decem exercitorum diebus, vix mo-
mentum fluxisse illi videretur. Certè
fassus est candidè, quando à congressu
cum Deo ad cibum somnúmque capien-
dum, atque ad hujusmodi naturæ huma-
nitatisque munia descendere opus ha-

Dd bebat

bebat, planè sensum capere Sponsæ in Epithalamio suo sic canentis. *Si invene-
ritis dilectum meum, nuntietis ei, quia
amore langueo.* Enimverò transitum hunc morti molestiâ parem videri, & posse esse lethalem, qualis foret illius, qui è cælo in tristissimam solitudinem perturbatus esset. Ex quo cuique cognoscere licet, quanta & quām inusitata vis esset divinæ dulcedinis: cùm adeo grave foret ab ea se subducere, etiam ad necessariam ex cibo somnóque voluptatem. Non rarò evénit, ut orationis tempore egressus è cubiculo, ad assignanda tironibus exercitia, usque adeo inflammatus appareret dulcissimâ illâ amoris flammâ, ut è fornace ardenti, aut ex incendio venire videtur. Quod si quis eodem tempore illum adiret negotiorum causâ, non sufficiebat compellare, ut aurem animûmve ad dicenda adverteret, aut strepitum edere: trahendus enimverò & agitandus erat; neque tum tamen omnino sibi præsens, aut iis quæ proponebantur satis intentus, frontem manu perfricabat, ut mens à rebus deliciisque cælestibus tandem avulsa; humanis attendere posset. Affue-
bant

bant porrò hujusmodi deliciæ præsertim
Missæ tempore, maximèque sub conse-
crationem ac synaxim, quippe inter am-
plexus, & sacras nuptias animæ cum
Sponso & in corpus & in animam Vin-
centii suavissimè, intimèque se immer-
gente. Et censuere periti rerum ejusno-
di, cordatique viri, extra controversiam
esse, visum quandoque perspectumque
Vincentio in SS. Eucharistia, longè ami-
plius, modóque sublimiore, quam huma-
nitus possit perspici. Constat profectò
totum illius os tunc temporis ardere so-
litum, suspiriaque, & lacrimas velut ag-
gere rupto, quem humilitas lucem fugi-
tans illis opposuerat, maximâ copiâ in-
terdum erupisse. Non sine vi ab altari se
abstrahebat; & quoniam tanta esse non
poterat, ut præscriptum sacrificio dimi-
diatæ horæ spatium pietas non excede-
ret, illud subinde in privato ac domesti-
co facello faciebat, ut liberiùs diutiusque
divinis impulsibus se posset permettere.
Neque se domi, aut cōstituto orationi aut
Missæ tempore, divina suavitas continuit.
In celebri illa ac septimestri salutis ani-
marum procuratione (missio nostris di-

Missæ
præser-
tim té-
pore

D d 2 citur)

citur) quam R. Pater Bernardus de Ponte,
 vir navus, & tota Neapoli clarus, in se-
 ptem primariis urbis templis D. Virginis
 sacris instituit (attributis in singula sin-
 gulis mensibus:) singulorum in exitu fre-
 quentissima supplicatione deferebatur
 divina Hostia, & cum illa Sacerdos po-
 pulo bene precabatur: itaque missione ad
 istam ædem finis imponebatur. Porro
 Vincentius ejusmodi sacrarum velitatio-
 num, semper dum licebat, aut author, aut
 adjutor supplicationis unius non mini-
 ma pars fuit. Präibat reliquis crassa chla-
 mide ligneoque Christi è cruce penden-
 tis, pariterque prægravi simulacro onu-
 stus per summos æstatis ardores. Sudore
 diffuebant ceteri, ipse velut tempestate
 verna, aut etiam hyemali, Deo, quo ple-
 nus erat, cælesti rore corpus unà cum
 animo perfundente, alacriter expedité-
 que incedebat. ut autem constaret con-
 stitutioni illius frigidæ temperiem illam
 non esse ullatenus adscribendam, suppli-
 catione finita, diéque in vesperam incli-
 natâ, dum jam signo illo ligneo exone-
 ratus domum redit, adeo incaluit, ut
 omnino contra morem suum madentia
 sudore

sudore lintea mutare coactus sit. Quasi vellet simul indicare Providentia Numinis, viro illi sancto crucem esse levem, & laboriosam quietem. Et revera gravis esse non potest ulla crux homini, qui cælesti effertur lætitiam: nec facilis quies illi, qui Spiritu divino ac vehementi afflatur.

Cæterum non animum tantum, sed & Vincentii corpus vis contemplationis cælestisque lætitiae supra terram extulit, di-vino lumine coruscum. Administrabat rem Collegii Neapolitani; cum Janitor domesticus statim ab oratione matutina conclave illius ingressus est, quidpiam significaturus; sed cælesti luce ex toto illius adhuc orantis ore perstrictus (sic ut eam ferre nequiret) & sacro horrore percussus (ut in hujusmodi subitis casibus accidit) nec fatus verbum, retulit illico pedem. Alias cum Tirocinio præcesset, Excitatori matutino, cellam ejus subeunti ut à somno expergefaceret, apparuit positis in medio cubiculo genibus, & undique radiis fulgidus, ut divinore somno implicitum esse constaret. Eodem corporis habitu mentisque, visus est alteri
 Dd 3 mane,

Conte-platio-nis ejus
dē pro-digia

Lux cæ-lestis

mane, antequam diluxisset, cum negotii causâ post consuetum orationis tempus adeunti. Qui cùm pulsatis aliquoties foribus nihil respósi audiret, eas cum impetu aperuit, Vincentiumque deprehendit contemplationi adhuc intentum, cā luminis superni copiâ, quæ totum cubiculum impleret. Igitur ne inturbaret, discessit re infectâ. Tum rediit post horam, & alloquio opportunum invenit. exinde subodoratus Vincentius se ab ipso in illa cælesti luce observatum, vesperi ad se redire jussò frequenter inculcavit, omnino vetare se, si quid ab eo insueti animadversum in orante fuerit, mortaliū ulli indicari. Sed difficile erat rimas omnes obstruere, ne tanta lux patteret. Nec minus illustria fuêre Vincen-
tii à terrâ divinitùs eminentis spectacula. Inter lustranda Apuliæ Collegia, Baren-
se inspiciens, intellexit ex eo, penes quem cura erat Nostros mane divina meditan-
tes de Societatis more recognoscendi, munus hoc non quolibet die, sed subinde tantùm per hebdomadem obiri. Cui Vincentius, *Tu vero, ait, singulis postmo-
dum diebus singulos recognosce, atque à
meipso*

Subli-
mitas
orantis
à terrâ

meipso Rectoréque inspectionem ordire. Fe-
cit ille imperata: & à Vincentio orsus
suspensum in aëre vi divinâ, sublimémque
duabus à terra palmis invénit. Quæren-
tique paulo post, num dicto audiens
fuisset, Omnino, inquit, *D*ic iucundum in
Reverentia Vestra vidi spectaculum. Er-
góne me inspexisti, retulit Vincentius: &
ipse, *Candidè*, ait, *parui.* Tum Pater in-
credibili pudore perfusus, *Atqui*, subje-
cit, *prohibeo peccati pœnâ, ne cui, me vivo,*
quod in me spectasti, aperias. Ita ipse, cui
non semel alias ejusmodi raptus ascen-
susque à terra contigere. Nam cùm ti-
ronum ageret magistrum, pariter subli-
mis humo apparuit, quod oculatus testis
ita narrat: *Exeunte tirocinii mei biennio,*
mense Decembri, sabbathi die, Patrem
Vincentium vidi divina patientem, ra-
diiisque cinctum bac occasione. Sacrario
*Præfetus eram, D*ic mihi præscripsérat,
ut statim à novitiorum reditu è campestri
deambulatione valetudinis *D*ic auræ ca-
ptandæ causa suscepia, ipsum ad facien-
dam rem divinam accerserem. Cùm igitur
revenissent omnes, eius cubiculum adiit,
*D*ic fores pulsavi; at nemo respondit. Totæ

itaque domo illum perquiro, nec invenio.
Redeo ad cubiculum, & illud audacter
intro, mihi utique persuadens orationi
adeo intentum, ut pulsus exaudire ne-
quiret. Et ecce video illum genibus cur-
vatis, extantem à terra duorum circiter
palmorum interiectu, totumque undique
luce coruscantem. Flexi ego genua venera-
tionis ergo, remque diu contemplatus, cellā
egressus sum, prodigium aliis commonstra-
turus. Interea loquentis vocem audio, iu-
bentisque me ingredi. Ergo rursus ingre-
diens stantem invenio amoenissimo vultu;
cumque renunciasset Novitios eum in sa-
cello ad missam præstolari, statim adfuit.
En ipfa propemodum testis oculati verba.

Notitia arcana-
rum. Alias, idque post nocturni examinis tem-
pus, compluribus ad ejus januam rerum
diversarum gratia hærentibus, cum An-
tonius Beatillus eam pulsasset, nullum
responsum reddidit Vincentius; sed al-
tum suspirium: jussisque qui pulsarat in-
gredi, nec viso, nedum intellecto quâ de
causâ veniret; ut erat in genuâ provolu-
tus, hæc pauca dixit. Pater Beatille, non
babebis crastino commentationem super sa-
cris litteris, ob supplicationem s. Januarii
bonori

VINCENTII CARAFÆ. Lib. II. 425
bonori instituendam. Quo dicto surrexit,
eumque ad jantiam officiosè deduxit.
Nimirum, viri sancti, quod nitidos oculos
habeant Divinitatis speculum contem-
plando, in quo creata omnia reluent,
mentium arcana facilè cognoscunt.

C A P U T XII.

*Vincentii pietas in Dominum
IESVM, ejusq; Matrem
Virginem.*

VT color vivus atque hilaris bonæ Ex vul-
valetudinis, sic interioris ac sinceræ tu, vo-
pietatis index est ea quæ foris emicat, ce, litte-
seu sermone, seu vultu, seu gestu, totius- ris, a-
que hominis conformatio[n]e. Quemad- mor e-
modum ergo Vincenntius Dominum liquet
JESUM ferebat in medullis, sic & fre-
quentissimè habebat in ore. Erat autem
ejus ratio de colloquendi melle dulcior,
affectibus animata distinctaque, adeo ut
animi æstum deliciasque exprimeret ad
stuporem audientium. Facies quoque
tota suavi ardore, oculi læto splendore,
ipsa totius hominis compositio velut in

D d 5

Deum

Deum absorpti, facilè intuentibus per-
suadebant nihil in illo desiderari ad ter-
restrem Seraphinum. Et verò abundè
illi erat, cur tanto Christi amore flagra-
ret. Ex quo maximè quodam natalis ejus
pervigilio eumdem Dominum J E S U M
amabilissimi puelli dulcissimè radiantis
specie, brachiis & sinu exceperat, ut re-
tulit qui vidit: de quo tamen viso quia
tantùm famâ accepi, licet adhuc post
multos annos constante & velut recenti,
nihil ultra assero. Ceterùm ut voce, sic
& litteris eumdem cordis Regem liben-
tissimè prædicabat. En unæ ad familia-
rem. *Litteræ Reverentiae vestræ semper*
 „ *mibi gratissimæ accidunt: unum subvereor,*
 „ *ne commentationes vestras in æde sacra*
 „ *haberi solitas subinde interpellent. Deum*
 „ *precabor, ut commentationes illæ d*icitur* divi-*
 „ *nō Spiritu affluentur, d*icitur* eò fructus pariant*
 „ *uberes in auditoribus universis. Conducet*
 „ *ad hoc si R. V. nonnulla fidei Christianæ*
 „ *scita magis in dies aliisque animo imbi-*
 „ *bat: bæc enim bene expensa d*icitur* velut di-*
 „ *gesta, proniùs cùm aliis communicantur.*
 „ *Numquam tamen non illis immisceat ali-*
 „ *quid de suo. Nam mistio illa orationem*
reddet

reddet robustiorem. Legi hoc vespere, S. ,
 Antonium suis singulariter commendare ,
 solitum, ardenter in Christum amorem. ,
 Id ipsum Reverentiae vestrae voveo. ut ,
 ipsa primum, tum verò ab ipsa ceteri ex- ,
 ardescant amore. Et sane, Pater mi, si ,
 amorem præcedere debet consultatio, dicitur ,
 electio eius quod adames, constat non ,
 alium nobis quam Dominum JESUM ,
 in amoribus esse debere: quippe cui adsint ,
 omnes necessitudinis nostræ causæ, summá- ,
 que iura omnia. Quare deceret eum non ,
 amare dumtaxat, sed immensum amare. ,
 Verum huic nomini satisfit amando quan- ,
 tum humanitus licet, atque, ut loquitur ,
 docetque Bernardus, ex toto. Etenim qui ,
 dat quidquid habet, nihil sibi facit reliqui ,
 quod ultra donet; atque adeo sine fine ,
 amat, qui nullum limitem figit amori. ,
 Hoc igitur pacto acquiescit animus, neque ,
 est quod cupiat aliud. Itaque sàpè iteremus ,
 basce sàetas Sanctissimi P.N. Ignatii voces, ,
 Amore tui solù cù gratia mihi dones. amo- ,
 rem cum gratia, amorem ut amemus, gra- ,
 tiam ut amemur. Amare dicitur amari, utique ,
 sat est, dicitur amplius nihil. Hactenus ille. ,
 Præcipua verò Vincentii deliciæ, San-
 ctissimum

Præci-
puè in
venera-
bile Sa-
cramē-
tum.

ctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Èa inventâ peribat quodammodo sibi ipse, non modò abdicabat, ac repudiabat reliqua. Quocirca fulmine quondam juxta illum Eucharistiæ supplicantem, ad terram alliso, fragorem non sensit, velut audiendi videndique facultate destitutus: nedum exhorruit. Adeo detinebat illum seu suus seu mutuus Christi amor, in eo amoris solio sedentis. Quot diebus saepius cùm istic adibat adorabatque: utque liberiùs vacaret amori; ne lacrimis suspiriisque se proderet, intra templi scamna se occultabat. Cumque Generalem Præfecturam gereret, noctu & sine lumine itabat in cellam precationis secretam, unde in Eucharisticum tabernaculum prospectus erat; utique *Deum absconditum* in tenebris, & extra cōspectum rerum sensibilium commodiùs consperatus. Neapolim aliáve loca obambulans, si præter ædem aliquam vaderet, ubi palam expositum erat venerabile Sacramentū, perinde ac si à Christo invitari se sentiret, è vestigio invisebat, orabatque de genibus, non obiter, sed solidas horas; immemor sui, immemor negotiorum, quibus

quibus tractandis in viam se dederat. Prodebat autem se maximè ea pietas, uti par erat, sacrificii tempore, nam ut aliquid h̄ic addam iis quæ capite proximè superiori retuli, incredibili aviditate sugebat lambebatque è calice sanguinem. Os lateri Christi aperto immersisse, & illius corde se pascere dixisses. Quare nihil mirum, si quamlibet irreverentiam eo id temporis præsente intolerabilem duceret. Consueverant nobiles quidam importunissimo tempore duas trésve horas in templo nostro inambulare. Ita scilicet tempus fallebant, aut potius unā cum sacro loco violabant: propudiosis etiam oculis in puellas, rei divinæ inten-
tas, non clanculum aut defunctoriè, sed fixè liberéque, ut in medio foro, projectis. Hoc nempe est hodieque propè solum nobilitatis aliquorum juvenum specimen, procacitatem & lasciviam in templis sacrorum tempore ostentare. non illas tu-
lit Vincentius, at statim atque Sodalitii nobilium curam suscepit, totus in id in-
cubuit, ut imposterum pedem ædi sacræ non inferrent, nisi ut Christum ritè ve-
nerarentur. Quod cùm esset assecutus,
usum

usum exponendi Panis Angelici in facel-
lum nobilium Equitum induxit: eo suc-
cessu, ut Angelorum instar ac Cæli Pro-
cerum *Regi sacerotorum immortali* se siste-
rent. Infelicius actum est cum juvēne
protervo, prosapiâ quām moribus cla-
riore: frequentabat ille templum nostrū
diebus celebrioribus tam caninā impu-
dentiā, impudicos ut amores propalām
& cum insigni populi offensione tracta-
ret: Vincentius indignum facinus execra-
tus, ad eum die quodam placidè in tem-
plo accedens, amicè paternèque redar-
guit. Sed qui præsentis Christi majesta-
tem vilipendebat, scilicet hominem con-
temptim insolentérque à se repulit. At
vir sanctus leniter quidem etiamtum, sed
divinā quadam vi ac spiritu timendus,
procacem admonuit, Numinis vindictam
caveret, quippe capiti suo & propriūs op-
nione sua imminentem. Et vaticinio fi-
dem dedit infortunatissimus eventus.
Insolens enim ille, non priùs annus abiit,
quām inflictā punctim plagā perierit, sine
ullo Sacmentorum adminiculo. *Væ,*
qui spernis, nōnne & sperneris? Qui aras
pro harīshabet, porcorum fato dignus est.

Dulcissima

Et in
crucia-
tus Re-
dem-
ptoris.

Dulcissima quoque Vincentio , & ni-
fallor , prima sacrarum voluptatum fuit ,
contemplatio cruciatuum & mortis Chri-
sti. Nempe in quibus omnes amoris mu-
tui illecebræ convenirent , Persona The-
andrica , caritas incomparabilis , tum Pa-
tris æterni vingenitum suum nobis do-
nantis , tum Filii sanguinem & vitam no-
stræ salutis causâ prodigentis inter in-
gentia tormenta : denique norma , quam
discere avebat , amandi nimirum patien-
do. Hinc illi tritum illud. *Amare & pati:*
pati & amare. Cujus memoria ne men-
te umquam excideret , diu super nudo
pectore gestavit paupertinum signum
Redemptoris è cruce pendentis habitu:
at sine cruce ; sive quod ipse cordi suo
tamquam cruci clavis amoris illum affigi
desideraret ; sive quod molestiam , atque
crucem majorem ferre. Atque hinc flue-
bat singulare illius in doloribus , plagisque
gaudium. Hinc perpetua desideria vul-
nerum , adeo ut à capite usque pedes non
nisi vulnus esse percuperet : vel plagis
quinis & insignibus saucus , ut saltem eo-
rum numerus Christo similem redderet.
Sic enim generosissimus amator differe-
bat :

bat: Non esse germanum Christi patientis amorem, qui imitationis illius avidus non esset: nec sine probro vitam nobis placide fluere, & ne levi quidem cruciatu libatam, quando Christus ob oculos nostros versatur in cruce, plagis olim confectus & cruciatibus, ut nos à morte æterna assertret. Et verò ut cælestis hæreditas citrato-lerantium ullius doloris cerni posset; tamen pudore dignum esse, integrum & pla-gis intactum eam adire, præsertim cum Christus suas in cælum detulerit, ut & nos nostras deferremus, & ipse nostra suarum imitatione æternū gauderet. Hæc & alia se digna Vincentius. Nec existimabat ullum esse potentius incitamentum ad heroicam virtutem, pœnásque voluntarias, exemplo amabilissimi Salvatoris. Quare frequentissima hæc illi in ore seu privatim seu publicè alias exhortanti. Dominus JESUS sic agebat. sic patiebatur Dominus JESUS, ita colitur JESUS, ita ad eius imitationem acceditur. Atque ut flamma latius ac latius se porrigit, quamdiu materies apta se offert: sic ab exæstuante ejus pectore amor ille patientis Christi erumpens, qua libello

libello, qui inscribitur *Fasciculus myrrhæ*,
 quâ studio promovendi *Coronam quinque
 Redemptoris vulnerum*, ad extremas orbis
 plagas pertinuit. Quâdam in relatione
 ab ipso jam Generali Patribus Congrega-
 tionis, qui eum elegerant, tradita, ut
 pietatis genus illud per totum terrarum
 Orbem propagarent, commemorat jam
 inde ab anno 1612. cùm Romæ studiis
 operam ipse navaret, sacræ illius coronæ
 usum per occasionem cōmunionis (quā
 Generalem vocant, solentque nostri sin-
 gulis mensibus diversis urbis regionibus
 instituere) initium cœpisse, ac deinde ad
 Indias Orientales & Occidentales porre-
 ctum esse: cūmque ea pietas Paulo V.
 Pontifici maximo exposita atque oblata
 fuisset, ipsummet ejusmodi coronam ad
 cingulum gestasse. Porrò Vincentius ma-
 ximâ cum honoris ad quinque Christi
 plagas accessione, exercitium illud Nea-
 poli divulgavit: adeo ut earum cultui
 & aræ exstructæ, & festi dies instituti,
 simul eximii illius studii curæque peren-
 nia sint monumenta.

Amori in divinum filium junxit (ut Ejusdē
 in Ma-
 moris est sacrorum amasiorum) amorem

E e

in amor.

in magnam Matrem, sic enim Deiparam consuevit nuncupare. Atque ut illius per hebdomadem jejunia, quotidianum rofarium, officiumque, divinas item epulas sacris Virgini diebus, aliisque in ejusdem honorem pietatis exercitia fere à puerō obita, & libro primo relata præteream, solebat insuper jam inde septies quotidiebus curvatis genibus hanc preculam ejusdem honori recitate. *O Domina mea Sancta MARIA, &c.* Item quando fiebat illi copia, omnibus festorum illius dierum pervigiliis publicum prandium egentibus manu sua præbebat. Ut verò se ejus mancipium signo aliquo profiteretur, annulum ferreum pedi insertum diu gestavit; cui catenam libens addidisset indicem amoris sui: sed illius vinculum cum Diva, sat Superis, sat mortali bus notum erat. Ceterū cuidam fratri confirmavit ingemiscens, sibi durius esse, carere ejusmodi catenā, mancipatū sui teste, quām tibias insito frigore semimortuas, quod frater ille commisera bat, habere. Erat illi adhuc juveni in votis Psalterium S. Bonaventuræ, ad Virginis laudes compositum, ut & paupertas religiosa

religiosa, in amore. Itaque ut utriusque faceret satis, R.P. Fabium de Fabiis, Collegii Romani, ubi studebat, tum Rectorem, facultatem flagitavit stipem in urbe ostiatim mendicandi, dum sufficientes nummulos ad libelli illius emptionem collegisset. Hic verò, ut erat æquè peritus probandæ suorum virtutis, ac virtute ipse præditus, Vincentio duriusculè accepto, dixit denique Societati non esse in more compendium suum ex corrogata stipe facere, acciperet à se psalterium (& erat in promptu) & unà facultatem, quocumque iret, secum deferendi, utendique: atque ita dimisit non minùs reprehensione, quàm dono lātum. Notum est, ex iis quæ priore libro memoravi, quanto studio Virginei honoris, Sodalitium nobilium Equitum, illius sacrum natali, procurarit. Addo hīc singularem ejusdem curam, quàm fieri poterat splendidissimè magnificentissimèque, Sodalitii aulam decorandi. Nec enim ferre poterat terræ filiorum, quantumlibet inter reliquos eminentium, aulas & conclavia regio luxu splendere, & Reginæ cæli cūriam pauperem in modum adornari. Et

E e 2 profecto

profectò feliciter evénit, ut excelsis ejus desideriis dignisque tantâ Dominâ indiciis munificentia pietasque Sodalium responderet. fuit qui maximâ suâ voluntate mille & quingentos aureos Sodalitii in usus impertiret: alii pro forte sua ac virili, generosâ prorsus liberalitate. Quin etiam Immaculatæ Mariæ placuit symbolam suam aliquando conferre. Opus erat ad altaris ornatum non vulgare pecuniæ summâ. De illa Vincentius ad quicdam è Sodalitatis primoribus cùm retulisset, diffidentiæ non nihil in eo comperit: rato non nisi peragrè tantam pecuniæ vim parari posse. Cui leniter correpto, *Censene*, ait, *Magnæ Matri non esse in proclivi hanc summam honoris sui gratiâ nobis invenire?* & Vincentii verbis vaticinii vim eadem Diva attulit, summam scilicet in præfens opus sufficientem. Ceterùm ejusdem Vincentii operâ hæc Sodalium aula ornamenti aræ propriis, péristro-matis, laciniis aureis, picturis, musicâ symphonia adeo excellit, ut palmam inter omnes Virgini sacras mereri videatur. Dixeris illam regium Mariæ prætorium, hunc verò prætorio Præfectum.

N^o

Nec honoris Mariani procurandi studiosior fuit, quam ejus adversus impios tuendi. Præpositus erat Domui Professæ Neapoli anno confirmatæ Societatis seculari, quando Societate universa per totum terrarum Orbem beneficium illud tum sibi, tum Orbi ipsi variis pietatis lætitiaeque significationibus gratulante, ipse, ut in partem gratiarum actionis veniret, missionem, ut vocamus, & quamdam animarum venationem instituit in D. Eligii *al Mercato*, quæ totum Octobris mensem tenuit. Eò ipse met interdum binis ante solis ortum horis contendit, ut inveniret quos Christianis præceptis priùs imbueret, atque ad sacram exomologesim synaximque (qui fructus est ultimus hujusmodi missionum) perduceret. Dum hæc agitat, cognoscit nefarium quemdam ganeonem, amissō inter sacrilegas voces peculio, chartas pītas, quæ folæ in manibus ei superabant, desperabundū & furore insane percitum, non sine sacrilego dicto, in os imaginis Marianæ conjectisse. nempe perculit id funesti nuncii piissimum ejus pectus, & incredibili dolore affecit. Ergo illico

Ee 3 curam

Et ho-
noris il-
lius tu-
endi
studiū

curam intendit Magnæ Matris honori reparando. Ac primùm quoniam hæc aleatorum academja illis pro asylo est, conductorem illius convénit ut sibi liceret gurgustium illud , in quo tantum facinus patratum esset, sufficienti pecunia redemptum , in ædiculam D. Virginis convertere: & obtinuit. simul egit de modo alia ejusmodi omnia ad unum abolen- di. Tum atrocem illam impietatem pro concione evulgari, domum in ædiculam converti, & supplicationem generalem ad eam institui, imaginem impie habi- tam, at jam egregiè ornatam, supplican- do deferri, ac loco suo honorificè resti- tui curavit. Ad hæc, ejusdem jussu arden- tissimus è Nostris concionator excitato illic suggestu memoriam indignissimi sa- crilegii refricavit, innumera, quæ ex ludo promanant, mala exaggerans. Tantusque extitit animorum motus, ut suspiria ge- mitusque passim in populo resonarent, & aliqui præ oris ac pectoris acti conti- nentique percussione, linquente spiritu semianimes ruerent. Denique coactâ in cumulum magna chartarum, alcarum & tabularum lusoriarum copia igne sup- posito

posito simul delevit probrum, simul honori Magnæ Matris adluxit: Vincentio interea amoris ac lætitiae vix pectore æstum continente, ad tantam gloriam amantissimæ cordis sui Reginæ. Ceterum quia non rei, sed criminis odio atque execratione hæc procuraverat, eo tandem intercepto post multam ac diligentem conquisitionem, quām potuit efficacissimè per litteras egit cum Prorege aliisque, ad quos causæ illius cognitio pertinebat, ut veniâ donaretur, Immaculatæ scilicet Mariæ exemplo ac spiritu, quæ misericordiæ sinum etiam sibi infestis hostibus expandit.

Porrò non passa est illa tot Vincentii officiis obsequiisque se vinci. Afferebat ipse à pueritia usque ad senectam sc̄e ab eâ innumeris cumulatū beneficiis. Quin etiam constat ejusdem testimonio, adfuisse illi in corporis necessitatibus, idque modis omnino insuetis. Incidit in ægritudinem primis, quibus cœtui nobilium Equitum præfuit, annis: & jam judicio medicorum à morte non longè aberat, quando ad eum visendi gratiâ circa quintam vespertinam venit Frater quidam è

E c 4 Nostris,

Nostris , illi perfamiliaris. Ut primū fuit in conspectu , Vincentius suspirium ex imo duxit , tristiique ac lacrimante vultu ostendit ejus adventum sibi per molestum esse. Attonitus ille rei novitate , mœroris ac molestiae causam avidè scitatus est : sed exprimere ex illo aliud non potuit, quam pauca hæc : *Ignoscat tibi Deus , abidum , mēque mihi relinque.* Incendere hæc simul suspicionem alicujus insignis gratiæ Vincentio recens collatae , simul ejus descendæ desiderium. Quare instituit frater ille rogitar e , confidenter rem & animum aperiret , idque tanto pere , ut vir sanctus , quod se ab ejus importunitate expediret , sponderet aperturum alias , excederet modò actutum è cubiculo. Excessit ergo ; sed duabus post horis rediens , idem iterum iterumque quam precibus , quam rationibus contendit : at incassum. Redit ad illum mane in sequenti , & acriter instat , promissis ut stet : enimverò nec se istinc recessurum , nec molestiam desitetur , ni Pater rem patefaciat. Itaque importunitati cedens , petita acceptaque inviolabilis secreti sponsione ita fari cœpit. *Quando , mi Frater ,*
cellam

cellam meam ingressus es, hanc ingressu suo
dignata Virgo, optionem mihi dederat vi-
tæ vel mortis, atque ut alterutrum elige-
rem, insinuaverat. Ego vero utramque
illius arbitrio permisi; nec enim quidquam
mibi gratum, nisi quod ipsi placeret. Mor-
tem certè non posse molestam accidere, nisi
fortè quod nobilium Sodalitatem in pri-
stimum florem numerūmque necdum pro
voto restituerim. Tum frater rem ut di-
stinctius cognosceret, quæsit vigiline an
vero dormienti hæc obtigissent: *Vigili,*
ait, *✓ vero alijs similibus ostentis cælitus*
dignatus fui. Alia perscrutanti nihil aliud
responsum. Sic ergo mortem Virginis
ope vitavit Vincentius, quodque pero-
ptarat, ejusdem auspiciis pristino vigori
Sodalitium illud reddidit, imò ut priore
libro memoratū, auxit numero & pietate.
minus prolixus sim, si cetera ejusdem
Immaculatæ Mariæ in illum beneficia
percensere velim, ex quo maximè am-
biguum vitæ capeſſendæ, ad Societatem
Filii sui ineundam impulit. Id dumtaxat
dicam, cuidam cælestibus visis illustri ob-
jectum aliquando Dominum JESUM,
cujus è plagis velut rivi profluebant mar-

E e s garitorum

garitorum, auditumque cum amantissimæ Matri suæ Vincentium commendaret amicissimis verbis, nominatim hoc etiam nomine, quod sibi acceptissimus foret, ob suum in Augustissimam Deiparām præcipuum amorem. Certè Vincen-tius velut partam ratam habebat gratiam, quamcumque ab eâ petisset. Ad quam (quemadmodum & ad alios suos in cælo patronos) scribere consueverat B. Stanislai exemplo, & litteris oblato aliquo obsequii pœnævè voluntariæ genere, pondus addebat. Imò sine dubitatione omnibus servitutem illius professis confirmabat, quæ ab illâ flagitassent, obtenturos. unum è multis ejus fidei argumentum esto. Neapoli à nobili quodam viro, quem maligna febris ex cæli mutatione conflata tenebat, evocatus, ex ipso audiit, datâ egentibus ad honorem Magnæ Matris stipe, eamdem rogasse valitudinem. Cui confessim Vincentius, *Cum ita sit, inquit, latus age, obtinebis.* Nec enim erit umquam, ut Magna Mater officio ac humanitate se vinci a te patiatur. Post hæc deterius ægro factum est, luculentè delirare cœpit: adeo ut mors time-retur.

retur. Sed illi Patris sponsio numquam mente excidit. Atque ut primùm redibant lucis ac judicii intervalla, confirmabat se, et si animam ageret, spem evadendi non positurum. Quippe certâ se niti fide sancti illius hominis, aut potiùs, Deiparæ miseratione. Et revera hæc salutis anchora fuit. nam festa Virginis luce pòst paulo affulgente, caligo mentis discussa est, evanuit morbus, & vir nobilis clarissimè vidit servorum Mariæ preces, (si præsertim eleëmosynæ jungantur) vel tamquam imperia esse, quibus Clementissima universi Domina non potest non morem gerere, vel tamquam tela quæ cor illius rectâ petunt, sauciántque, nec quiescere sinunt donec quod petitur, largiatur.

CAPUT XIII.

Sententia ejus ascetica memoria digniores.

VINCENTIUS quondam disputans de eo concionatorum genere quibus eruditionis & loquentiæ multum, probitatis

tatis parum, qui in cathedris sanctimoniam
magistri, in cubiculis ac moribus ne qui-
dem discipuli: at veri comici, fictam re-
ligiosi hominis personam foris assumunt,
quam domi ponunt, ex animo dicere so-
lebat, se quidem, si aliis ea documenta
daret, quæ non ipse vita probaret, sibi
vixum iri in seipsum dicere sententiam:
Christum autem idem objicere jure posse,
quod pigro illi servo Evangelico: *Ex ore
tuote iudico, serve nequam.* Quæ respon-
dus aliquod addet pauculis hisce docu-
mentis, quæ hoc capite tamquam viri
Sancti reliquias colligo, partim ex illius
dictis, partim ex scriptis, satis gnarus
etiam verba, & vulgaria monita pronun-
ciantis virtute consecrari. Sic igitur ipse.

1. Ut proprius terræ situs subter aquam,
aquæ subter aërem, aëri subter ignem,
igni denique subter cælum: ita homini
proprium & velut nativum esse debet,
non modò necessitate, sed & maxima
sua voluntate subjectum esse Deo, eiique
affixum, ut sanctissimæ illius voluntatis
motibus facilius circumagatur. Ceterum
nihil sublimius ejusmodi submissione. Su-
pra humana omnia hominem evehit:
ad eo

ad eo ut fortunæ vel prosperæ blanditias, vel adversæ terrores despiciat. securus utique, quem præter Deum nihil attin- gere, nedum movere possit; cùm Deo proximè subiectus affixusque sit: atque infra Deum procul absistant omnia.

2. Mundum hunc mundi Conditor si- mul cum universis quæ vitæ humanæ vel necessaria, vel commoda ac jucunda sunt, hominibus concessit, partim ad Di- vinæ in nos, partim etiam in specimen aliquod nostræ in eum liberalitatis, si ei donemus quæ ab illo accepimus; partim & casti in eundem amoris, si illius gra- tiâ nostris nos commodis abdicemus, quippe sat opulentî amore.

3. Ad benè beatéque vivendum, in- star rotarum currūs Ezechielis circum oculati simus, necesse est. Quippe in- tuenda semper, & quaqua versum beata & infelix æternitas: illa ut admirationem sui, hæc ut metum creet. His duabus re- bus Christiani hominis vita constare de- beret. Quamquam evagatione nostra ad hæc præsentia infimâque cogitanda Numinis Providentia sapienter utitur. Sic enim coluntur agri, habitantur urbes,

artes

artes exercentur: quæ alioqui cessarent omnia, sublatisque commerciis mundus in solitudinem transiret. Quantum námque hujus vitæ momentum cedit æternitati, tantò impensiùs huic, quam illi homines laborarent, si utrumque pensiculatè inter se componerent. Quid igitur tandem curæ cultúræ daretur Orbi terrarum?

4. Vel minimum dubitationis de salute, cladéve sempiternâ, pluris homini esse debet certissimo ingentique rerum temporalium lucro. Et cùm Deus alicui ad opes dignitatesque feliciter currenti, vitam spémque simul omnem intercidit, tacitè illi innuit quod Christus Petro: *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea.* Nobilis Eques Neapolitanus in morbum incidit, cùm primum Regni scriba creatus est: quod munus non magis quæstuosum est, quam animæ periculum. Vocavit ille Vincentium, oravitque valetudinem sibi à Deo flagitaret. At ipse, *Absit, ait, ut preces meæ virtuti integritatique tuæ, mi Domine, fraudi sint. Non sic te amo. Hæc ipsa est non vulgaris in te Numinis gratia, quod administrationem*

nistrationem muneris istius morte præver-
tat. Cùm enim salus tua illi sit cordi, in-
tegrum iam intactumque avaritiae ad se
evocat, ne munere isto defunctum, talem
fortasse reperire non possit. Obiit igitur hic
Eques tanto ex hisce Vincentii verbis so-
latio, ac si salutis certum pignus acce-
pisset.

5. Scripsit ad ægrum quemdam, qui
æquissimo animo ferebat ægritudinem,
hisce verbis: *o bona crux, si capis, sapi.*
Aliàs de cruce sic differebat: brevissima
ad culmen virtutum, ac potissimè amoris
in Deum via, ea est quæ ad Calvariæ
montem dicit, ut nos istic cruci affiga-
mur. Et quando divinæ clementiæ col-
libitum est multam patientiæ materiam
nobis aggerere, argumentum hoc præ-
cipui amoris est. quippe compendio san-
ctimoniam docentis.

6. Cùm id omne, quod à Deo divi-
nisque animum avocat, Augustino aucto-
re, *vel sit voluptas alliciens, vel dolor re-*
pellens, adversus utrumque sapienter nos
muniit Providentia ejusdem Numinis.
Etenim quidquid in deliciis ineſt leno-
cinii, ad recordationem felicitatis æternæ
hebescit;

hebescit; & quidquid in malis horrescit,
ad memoriam tartarei cruciatūs suave
est. Cæli profectò contemplatio , aut
sæviente mundi tempestate, aut malacia
blandiente, suberis loco est nandi adhuc
rudibus; mergendis alioqui vel vitæ di-
scrimen adituris. Si malorum omnium,
quibus orbis hic affluit, caput quæritur;
hoc est , quod qualiacumque illius bona
seorsim ac per se spectentur , non con-
ferantur cum cælestibus . Alioqui enim
quis adeo insaniret, ut immensa æterná-
que pusillis ac brevibus posthaberet :
nimirum ut stellarum splendor noctu ri-
det, sed ubi primùm sol fulgidum exeruit
caput, stricturas illas syderei luminis haud
desideres: ita beatitudinis cælestis me-
moria & tamquam fulgor, malignam il-
lam mundi lucem facile obscurat.

7. Ad insignes animorum ad meliora
conversiones aptior est bonus orator ,
quàm disertus concionator (oratorem
vocat virum orationi ac contemplationi
deditum) quippe æternæ veritatis effata ,
quæ ad animorum conversionem vim
habent præcipuam , validius emittuntur
è cordis penetralibus, quàm ex labiorum
extimis.

extimis. Ceterūm nec approbanda est dictio rustica, aut jejuna. Talis sit, quæ res & verba sacra, talis quæ Dei sermonem addeceat. Majestatem spiret, ut ex auditorum animis eliciat reverentiam. Verbum Dei Apostolo teste gladius est: cave igitur ne gladius ille sordescat aut rubigine illinatur. Quin potius similis illi sit quem Jeremias vates Machabæo Duci tradidit; Sit, inquam, aureus idoneusque concidendis hostibus Domini. Si ad elegantiam ostentationemque concionatoris politus plus æquo suavè nitet, hebes & levis sit, necesse est, exorsque virtutis divinæ: corda igitur ferire non valebit. Et quid est veritati linguam præcidere, nisi adeo anxiè cultioribus studiisque connexis verbis obligatum esse, ut liberè eloqui non possit?

8. Evangelicæ operæ subsidium animalium ex instituto professæ (quales è Societate Iesu homines) hanc agendi cum proximis rationem sequantur, quam postulat finis eorum instituti, ut rebus illiciisque omnibus humanis generosè despectis, unum Deum intueantur. non igitur agant quidpiam, aganturve impulsu

F f

rerum

rerum fluxarum: non ut mundi homines,
mundo utique viventes: sed (ut Apostoli
phrasí utar) *tamquam à mortuis surgen-*
tes: perinde ergo ac si ex alio orbe re-
duces, & carne exuti forent, mentis ocu-
los in solo Deo divinisque desigant, in
eiusque perfectionum oceano absorpti,
wivant in abscondito facie eius à contur-
batione hominum.

9. Qui vitam verè religiosam ducere
velit, eò usque procedat, omnium quæ
sub sensus cadunt, & tempore definiun-
tur abdicatione, ut puri spiritus instar sit.
Propterea, quæ vitæ & corpori necessa-
ria sunt, ea non in solatium voluptatémi-
que vertat, sed ut perpetuæ servitutis
onera, debitamque criminibus poenam
subeat. sic igitur se gerat, ut gereret po-
tentissimus Monarcha, eò miseriarum re-
dactus, ut equum strigili defricare pur-
garéque sua ipse manu cogeretur: qui
fanè ejusmodi servitutem, non nisi cum
horrore & regii pectoris indignatione
serviret; eaque, quam celerrime liceret,
sese expediret.

10. Sincerus purusque ab omni labo-
runc labor est, quando in eo, qui juvatur,
nihil

nihil arridet vel nobilitatis, vel opulentiae, vel dignitatis, vel alterius decoris, quo possis allici. Tunc enim temporis luculentum argumentum est solam spectari animam, ejusque pretium decusque, & à sanguine Christi, quo purpura ta, & ab æterno suo exemplari, cuius imago viva est. Si quandoque ab inopum, miserorūmque consuetudine te revocat squalor & turpitudo, si ad nobilium locupletūmque congressum te pellicit elegantia vestium, speciesque exterior; eiā penetra, & pervade hæc, specta intus in anima purpuream ejus regiamque vestem; externa ista ad illam fōrdescunt. specta gratiæ divinæ pulchritudinem; tam exigua esse nequit, quin immensūm exsuperet, quidquid in rerum natura, hominum voto & amore dignum est.

ii. Eadem vita religiosa, non aliter melius, quam Climaci verbis definiri potest: *Ut sit violentia naturæ indeficiens, sive perennis repulsa veteris*, ut Paulus ait, *hominis*, & ingenitæ ad commoda nostra propensionis repressio. Quod adeo ratum, ac latè patens est, ut etiam ea, quæ ad Numinis cultum referuntur,

uti studia, utilium item editio librorum, Præfectura Religiosa, & hujusmodi, suspecta nobis esse debeant, si naturâ ad ea feramur. Minimūm necesse est (quò gratia totum sibi opus certò vindicet, nullamque illius partem decerpit natura) ut tollamus de medio, de opere, inquam, subducamus, omne quod nostrum est, id est, in eo exequendo uni velifice-
mur Dei ac Præsidum voluntati; non no-
stro arbitrio, non propensioni aut oble-
ctationi ex opere sponte mananti acquie-
scamus. Cujus indicio erit par ad omit-
tendum opus, aliudve etiam discrepans
aggreendiendum; atque ad illud profe-
quendum animi compositio.

12. Ad promptam humilēmque obe-
dientiam, perpendendum sedulò, nos o-
mnino indignos esse, quos divina Maje-
stas ad imperia sua (quorum Præfides
nostrī interpres sunt) exequenda adhi-
beat. Ad ejusdem obedientiæ felicitatem
consequendam, damnatâ omni politicâ
ad oculum, ut aiunt, obediendi ratione,
intuenda, quam Superiores gerunt, Do-
mini J E su persona, nec aliter illorum,
quam hujus voluntati, quippe quæ una
eademque

eadémque est , parendum. Propterea
S.P.N. Ignatius de Moderatoribus agens,
primùm eos nuncupat Christi legatos seu
vicarios ; tum instrumenta Providentiæ
Numinis; demum interpres divinæ ejus
voluntatis. Quid autem nobis beatius
accidere possit hac in vita, quam si Chri-
stum in Præsidibus veneremur, ejusdem
voluntatem perspectam habeamus, cer-
tamque ad cælum viam, ab eo nobis si-
gillatim præscriptam, ab illis demonstra-
tam ineamus ? Felices Religiosi, quibus
una Dei voluntas in obediendo proposi-
ta est! Cum eo celsitudinis sese extulit ani-
mus, Ambrosio teste, *omne quod in mun-
do est, amore aeternitatis calcat, & jam*
beatitatem prælibat, non modò certa spe
æternæ vitæ , sed præsenti ingentiique
voluptate, quam hujusmodi conforma-
tio cum divina voluntate illi parit. Hæc
enim, ut scribit Bernardus , *est felicitas*
Beatorum: quia voluntas Dei, est volun-
tas eorum.

C A P U T X I V.

*Quadam à Vincentio, seu vivo
seu mortuo prodigiosè patrata.*

MIRAM Vincentii demissionem, totâ eius vitâ intermicantem placuit Deo variis prodigiis illustrare; non iis dum taxat, quæ hac historia sparsa sunt, sed & aliis, quæ vivus ac mortuus edidit: in quibus enarrandis quoniam non tam numerum, quām fidem amo, non pauca prudens prætereo, dum certior inquirendo habeatur, aliisque, dum otium mihi aliisque latius describendi concedatur.

Donatus Perillus in febrim contagiosam iteratò lapsus, Vincentium occasione Sodalitii, in tirocinii sacello erecti, cuius pars erat, fibi bene notum, acciri ad se curavit. Venit ille; sed jam ad extrema tendentem, post quatuor & viginti horarum meram inediā, atque adeo à medicis depositum reperit. Sistit se ægro: sed videndi facultas illi defecerat: compellat nomine illum suo, & utcumque intel-

VINCENTII CARAFÆ. Lib. II. 455
intelligitur: indicio est lætitia vultu se-
prodens, simul & compressio osculum-
que manū Vincentii, quam æger colle-
ctis quæ supererant viribus ad os admo-
verat. Tum Vincentius verbis fiduciâ in
Deum plenis jacentem solatus, admonuit
Divæ Virginis, quæ in Sodalium cœtu
colitur, se commendaret: pauxilloque
mannæ S. Nicolai ei concesso, super ejus-
dem corde crucis signum formavit, ac
denique hæc ipsissima verba illi dixit.
Veni ad Sodalitatem die Dominica. Vix
egresso illo æger cibum petiit, febrisque
è vestigio exterminata est. Valetudo por-
ro adeo celeriter confirmata, ut Donatus
septimo abhinc die, qui proximè sequens
Dominicus erat, è loco quem S. Luciam
vocant, juxta mare ubi degebat sito,
collem, in quo Societatis est tirocinium
superarit, & Sodalium cœtui, prout Vin-
centii vaticinium ferebat, interfuerit.

Idem Donatus Perillus, & Petrus item
Perillus oculati testes, nec non & alii in-
terposito jurejurando affirmarunt id quod
subjicio: *Quindecim* post curationem
illam diebus auriga domesticus currum
tritico onustum inducebat in Domum

Ff 4

Pro-

Probationis. Quoniam verò illius aditus difficilis est, commonefecit eum Janitor, ut veteribus rotarum vestigiis insisteret: sed ipse negligentia, an impotentiā, damno certè suo, ab iis deflexit. Quippe ubi paululum processit, subversus est currus, & per devexa præcipitans cum impetu ad murum devolutus: ubi temo pectori autigæ graviter impactus muro illum affixit: adeoque compressit, ut vim magnam sanguinis ore ejecaret. Ivêre confestim suppetias multi: quos inter Vincentius temonem ab illius pectoris excussit, signataque ea pectoris parte crucis in formam, pariterque SS. Triade invocatâ, eum manu apprehendens, *Eamus*, ait, *ad vesperas*. fortè enim fortuna dies ille cuidam è Sanctis Societatis sacer erat. Ita statim rediit ad se, & cum se solo, quo ruerat, erexit, post aliquantulum quietis, sanus & omnino integer ad vesperas se contulit.

Perdiu Vincentius Neapoli singulis Dominicis mysteria fidei docuit, aliaque Societatis ministeria obivit in facello plateæ quæ à veteribus ferramentis nomen sortita est. Et hunc ipse locum delegerat, utique

utique animarum messi opportunum.
Quondam vilia quatuor invenum capita
juxta eum chartis ludentes invenit: ra-
tusque parum decere, ut ubi & quando
divinæ præceptiones tradebantur, illic
exaudirentur aleatorum juramenta ac
jurgia, eos per Sacerdotem, ludo ut ab-
stinerent aliōve eum transferrent rogari
curavit. Tum veritus graviorem tumul-
tum (jam enim illos contrà frēmērē in-
audiebat) egressus ipse metu facello, eos
amabili, ut solebat, ore affatus, obsecra-
vit, ne lusu suo divinas exercitationes
interrupbari vellent: satiūs, si ita libēret,
& ipsi iis Christianè interessent, etenim
multò eorum animis salutarius Iudum de-
finere, quām tempus & pecuniam, &
fortasse cælum perdere. Sub hæc aliquis
aliis procacior objectit Patri (quod ejus-
modi nebulonum grec religiosis homini-
bus objectare consuevit) benè & jacun-
dè illi esse, cui esculenta, poculentaque,
cæteraque in promptu sint ad nolæ so-
num, dum totis hebdomadæ sex diebus
fudant ipsi, & corpus animumque fati-
gant: Deum festos condidisse dies egen-
tium quieti & oblectationi; hunc si lusu

F f s fallere

fallere sibi lubeat, nihil ipsius referre.
Quæ secundò tertiove gliscente verbo-
rum procacitate repetiit. Tum verò de-
fixis in ejus vultu oculis, Vincentius hæ-
bit tantisper, & divino afflatus spiritu,
Non hæc talia mibi loquérис, ait, post occi-
duum. Consule animæ tuæ: interea scito
Deum festos dies indixisse, ut terrenis ne-
gotiis expediti, Dei honori faciliùs vaca-
mus, & saluti. Quo dicto altum suspi-
rans, ad facellum rediit. illi verò inde
abcessere. binis post diebus, atque adeo
die mercurii, insolens ille morbo corre-
ptus est, illicò tam acri, ut ipso diei ves-
pere auguratus sit medicus fore supre-
num, & de Sacramentis sibi procurandis
ægrum commonefecerit. Qui noxas fa-
tentem ritè audiit, adegit hominem ad
ducendam puellam, quâ jam triennium
fuerat abusus. Deinde die Jovis SS. Via-
tico munitus, & Veneris extinctus est.
Quæ res ansam præbuit Vincentio ea ad
populum dicendi, quibus tale infortu-
nium dignum videbatur. Dixit autem eo
animi sui motu, & adstantis populi, ut
complutum exomologeses expresserit.

Post longam disceptationem super va-
riis

riis conditionibus, omnino delibetatum erat de conjugio Beatticis Fontanarosæ cum Scipione Barillo, nobili Neapolitano; nec aliud superabat, quām ut nuptiæ celebrarentur, & sponsa traderetur sponso. Interea Vincentium adierunt duæ Beatricis consanguineæ, & de tota certiore fecerunt, five ut eo nuncio eum recrearent, pro sua in illam benevolentia, five ut novis conjugibus benè precaretur. Cūm igitur eas audisset, aliquantis per collegit animum: tum petiit, an despensa in viri potestate esset: negantibus illis, *Quis, ait, novit, quid illa fieri Superis placitum sit?* Turbavit cas ejusmodi interrogatio, & D. Laudemia Gomez, sponsæ amita, eiique perquām benevola, subjecit, attonita: *Quid sibi vult illud? ergo ne coniugium illud rescindetur?* Tum Pater, *Haud scio,* inquit, simul subridiens, *Sponsa erit,* inquit, *JESU Christi.* Quæ responsio cūm Gomeziam planè perturbasset: Joanna Fontanarosa ad eam conversa, ponere metum jussit: Parrem enim ioco ita locutum. Ad hæc Vincentius, *Non iocor,* reponit: & asseverans, quām adhuc fecerat,

Vestræ

Vestra Dominatio, inquit, paret se ad excipiendum velut è Numinis manu, d' beneficii loco reponendum, quidquid eveneturum est, nec dubitet id omne ex ipsius gloria, réque nostra fore. Ita illas anxias, fluctuantésque reliquit rei exspectatione. Sed pauci fluxerant dies, quando omnis super eo vaticinio dubitatio exempta est. Puella illa adhuc virgo casu lapsa, ad gradus caput allisit. Acciti Medici, extimæ cutis plagulæ potius, quam intimæ contusionis vitio intenti, nihil inde timendum pronunciavere; neque ut moris est in ejusmodi cæcis ictibus, livoris interiora scrutati sunt. Sed quæ Vincentium audierant, jam inde à primo læsionis die Beatricem pro mortua habuerunt: & cum meliusculè illi esse videtur, in mentem revocabant Patris verba de eadem Christo despondenda, quod eventus ostendit. Siquidem ante quadragesimum à lapsu diem (quæ plagarum capitis periodus critica est) ad nuptias Agni virgo sponsa accersita est. Qui nuntius cum ad Vincentium perlatus esset, ipse nihil eo commotus, quippe futuri jam antea præscius, id dumtaxat dixit,

Virginem

Virginem tantâ fuisse innocentia vita,
ut mundus eâ potiri non mereretur.

Constituerant Societatis Moderatores
P. Philippum Roccam Româ, ubi dege-
bat, ad aliud Collegium mittere ad se-
dem istic figendam. Ipse quia fluebat
annus 1649. quem excepturus erat annus
Sanctus Jubilæi, spectandæ illius celebri-
tati moram aliquam à Vincentio tum Ge-
nerali flagitavit. Qui antequam respon-
deret, hæsit tantisper meditabundus; tum
copiam illi petitam concessit, additis
hisce ipsissimis verbis: *Reverentia vestra
Romæ manebit: sed annum sanctum non
videbit.* Anxium habuit Patrem hoc re-
sponsi: Ænigma quidem erat: cuius cùm
operosè quæsitam solutionem non inve-
nisset, eam ab amicis postulabat: sed
paucos intra dies inopina febris non ex-
spectatam quidem certè, at luculentam,
& Rocca statim ac facile intellectam de-
dit. Itaque ubi se sensit ægrum, actum
de vita existimans, statim à morbi initio
rebus animæ prospexit. & brevi post Ro-
mæ mortuus in Collegio Germanico,
scilicet Romæ mansit, nec Jubilæi cele-
britatem spectavit.

Filiola

Filiola D. Juliæ de Monti, Ducissæ de Lauriano, unicum mensem nata, tam vehementer febri affecta fuit, ut cùm ob tenellam ætatem pharmaco sumendo omnino impar esset, propè desperata defleretur. Quare illius mater è cælo remedium petere statuit: Epistolam Vincentii jam defuncti penes se habebat, hanc puellulæ capiti imponit, & illa mox melius habet. Paulo pòst acceptæ in ulnas filiolæ sudariolum Vincentii sanguine tinctum per cognatum suum Religiosum, ut decentius, ad moveri curat: & è vestigio febris prorsus evanescit. Ita confestim Neapoli Latreanum Ducissa cum suis contendit, rad quod iter accincta erat, cùm puellulam febris corripuit.

Juxta Ædem D. Virginis ab Angelis dictæ, sacram, quà iter ad suburbia de Chiaia, plaustrum pondere suo, & lignis grave pueri supini ventrem rotis obtriverat. Jacebat itaque humi sensus omnis expers, & omnium judicio mortuus. Sorte bonâ cò venit Vincentius, accédensque oppressi manum prehendit, tum ad matrem desperabundam & miserabiliter pueri cladem lamentantem, Soror

mea,

mea, inquit, flere desine: nam filius tuus
mortuus non est, sed vivus & sanus.
grates habe Deiparae. cui hanc gratiam
debes: quæ cùm diceret, filium matri
sanum integrumque, uti asseruerat, tra-
didit.

Juvenis Anglus perillustris prosapiæ,
Collegii Anglicani Romæ alumnus, peri-
culosa febri laborans, pro sua de Vin-
centii virtute existimatione, sibi
dem mane petiit ejus precibus commen-
dari. Interea R. P. Nathanaël Sotuellus
Societatis Iesu tunc Secretarius, desc-
etum ex epistola Vincentii chirographum
ægro misit: quod ille acceptissimum sibi
testatus, pectori apposuit, unâ cum aliis
reliquiis illic pendentibus. Porrò Vin-
centius, juvenis periculo, ardentiique
precum suarum desiderio intellecto, spo-
pondit se Numini pro eo supplicaturum,
in crastino præsertim sacrificio. At nocte
intermedia ingravescentem febrim su-
peri stomachi dolores, & delirium secu-
tum est; adeoque paulatim incruduit ma-
lum, ut P. Nathanaël mane ægram adiens
crederet se, vel mortuum vel moribun-
dum inventurum. Sed Collegium in-
gressus,

gressus, præter omnem suam opinionem, certior factus est Dominum Guillielmum (sic enim appellabatur) liberum jam à febri, penè omnino convaluisse: & ipse illum læto hilariqué vultu, habitumque sani hominis præ se ferentem compert. Audiit autem ex eo quod alteri e Societate Sacerdoti istic præsenti jam retulerat; visum, subsidiumque Vincentii. Nimirum primis febris diebus sibi decumbenti conspectum esse Vincentium: qui cubiculum ingressus, séque sereno vultu intuitus, cùm aliquamdiu tacitus hæsisset, demum ex eo quæsiit, viveréne, an mori mallet. Se verò confessim respondisse vitam in optatis esse, si quidem cultui gloriæque Numinis non inutilis futura esset. Tum autem Vincentium oculis in ægrum defixis, tacitumque ut priùs, tantisper iterum hæsisse, & hoc tantum effatum, *Sic est*, evanuisse. Ita se futuri utcumque dubium esse ab eo relictum; verumtamen ex illius apparentis hilaritate, & alloquendi ratione auguratum se convaliturum; at ægrè, nec sine discrimine. Quæsiit Sotuellus, dormientine an vigilanti visum illud oblatum fuisset:

fuisset? *Vigilanti*, ait, *nec minùs mibi præsenti quādi iam nunc, dum loquor, mibi sum præsens.* Ita ipse, qui quidem etsi desperantibus Medicis, sperare valetudinem numquam destitit. Imò cuidam Patri, ut se Vincentii precibus commendaret, rogato, addidit omnino se sanandum, & primo quoque recuperatæ valetudinis tempore gratias illi pro meritis acturum. Ceterū Sotüellus juvēne audito Domum Professam regressus, insperatam illius sanitatem Vincentio narravit, qui cā gavisus, confirmavit se pro eo nominatim preces ad Deum fudisse. Igitur paucis post diebus vegetus ille jam & robustus, antequam se in iter Flandriam versus daret, ad Vincentium adiit, tum assertori suo gratias habiturus, tum bonam ejus precationem petiturus. Quo tempore iteravit eidem Sotüello, vitam se Vincentii precibus secundū Deum prorsus debere: & addidit nuper alterum ē duobus, qui se curabant, Medicis, virum ab arte sua Romæ clarissimum, cùm se invisiſſet ægrum, ad Patres lectum suum circumstantes conversum, in hæc verba locutum esse. *Sanctum habetis Generalem.*

Gg

neralem.

neralem. Hodie no mane P. Paulum Belli
in extremo discrimine reliqui, propè de-
sperata valetudine; adiit illum me egresso
Generalis, nonnullásque preces super eo re-
citavit, & ego ad eumdem reversus, libe-
rum febri & propè recuperata valetudine
comperi: ita medicus, & ex vero.

Francisca Porpora jam inde à multo
tempore solita apud Vincentium confes-
siones sacras obire, gravissimis ex febri
doloribus crebrisque deliquiis afflictata,
& jam judicii expers, supremis Sacramen-
tis ad mortem accincta erat. Invisit ita
constitutam Vincentius, & post brevem,
uti consueverat in ægrorum visitatione,
orationem, super ægrotantis capite cru-
cis formam expressit. Nec mora, rediit
illa ad sc, corroborata est, strato surrexit,
& posterum Paschatis diem in æde sacrâ,
quam commodè petiverat, celebravit.

Per illud tempus, quo Neapolis inte-
stino bello ardebat, quando Vincentius
Romæ (ubi jam Generalis vindicem Dei
manum ab ea avertere, quâ crebris pre-
cibus & lacrimis, quâ pœnis voluntariis
conabatur) funesta de illo nuntia audie-
bat, demonstrare solitus erat se funestiora
timere.

timere. Etenim civitatem illam certas
ob causas multum adhuc Justitiæ divinæ
debere. Sed die quodam, quo die o-
mnium haetenus nuntiorum tristissima
memorabantur, omnisque spes pacifica-
tionis extincta esse videbatur, colloquen-
ti secum Patri Secretario, profsus contra
omnium opinionem & morem suum, hi-
lari vultu afferuit tumultus illos brevi
esse sedandos. Subjiciente Secretario res
Neapoli ita nunc esse, ut numquam lon-
gius à compositione absfuerint, reposuit
ipse, numquam proprius ab ea abfuisse,
parique oris serenitate tertio ei inculca-
vit tumultus illos brevi esse sedandos.
Quæ multiplex asseveratio ab homine
nihil nisi exploratum affirmare sueto,
cùm præsertim adeo à prioribus ejus ser-
monibus, & præsenti rerum statu disside-
ret, facile originem suam cælestem Se-
cretario persuasit, simûlque pacem brevi
fanciendam. Id quod & ipse aliis pro ex-
plorato afferuit, tacito tamen ejus no-
mine, unde hauserat. Et verò non multo
pòst vaticinio fidem adstruxere cursores
initæ pacis nuntii. Cujus quidem benefi-
cium, secundùm Deum Sancto quoque

Gg 2 Xaverio

Xaverio acceptum referendum est: quippe à Regni Baronibus his turbatissimis temporibus in totius gentis patronum, *Protectoris* titulo electo & invocato. Sanè obstrinxerant se illi communi consensu ad præstandum ejus honori quidquid eorum nomine Vincentius Divo vovisset. Vovitque ipse, jejunium, & stipem pervigilio festæ illius lucis largiendam; ipsa verò luce sacram Synaxim, & quot diebus consuetam orationem ad Divum, itémque Dominicam & Salutationem Angelicam, quæ pietatis officia, pace obtenta, ex voti religione obeunda eis significavit.

Antonio Rosico apud Brutios orto, brachium sinistrum catapultæ glande gravissimè læsum erat. Quippe osse confracto; unde jam duodecim fragmenta variis temporibus fuerant educta. Post duos curationis & cubatus menses, tædiū tam diuturni levandi causâ, tametsi hiante adhuc plaga, quam chirurgus coire posse desperabat, domo egressus est. Exinde brachium illud dolor invasit ingens, nulla quietis parte permissa. Sed Antonius nactus aliquando Vincentium in ædibus

D.

D. Joannæ Fontanarosæ, pro ea opinione, quam de illius sanctimonia conceperat, post Patris tergum se insinuans, chlamidis ejus extrema malo appressit; eodemque temporis momento simul discussus dolor, simul brachio sanitas & vis restituta: itaque eo deinceps usus est, ut numquam male affecto: licet chirurgus eductis adhuc ante binas horas duobus ossis fragmentis affirmasset, si fors curaretur, plagam tamen in fistulam perennem mutatum iri.

Ut feminæ Principis in suburbii Chiaiae degentis confessioni aurem præberet, concendit Vincentius minorem cymbam, quam pueri duo, & tertius aliquis vel vir vel juvenis propellebant, æstuabat tunc temporis patentioribus locis mare, sed procella ingredientibus vix parebat. Et Vincentii socius studio celeriter præternavigandi, ei confirmarat (temerè tamen, quippe inscius) nihil admodum subesse periculi. Sed ad Castrum Ovi provecti, atque adeo ad os pontis ei adjacentis, formidabiles cymbulæ fluctus, & remigibus illis insuperabiles invenerunt: cùinque nec provehi

Gg 3 longius,

longius, nec recedere valerent, cum aper-
to naufragii discrimine aliquamdiu flu-
ctibus illic obluctati sunt. Interea Vin-
centius pallio se operiens (sic enim soli-
tus erat dum coram aliis precari lubebat)
totum se ad preces collegit. Crescebat
tamen periculum crescente procella ;
adeo ut Vincentii socius, illius metu ex-
territus, spectantium è muro, quo iter ad
S. Luciam cingitur, & rei eventum ex-
spectantium, cum clamore opem implo-
raret. Tum verò vir sanctus ardentibus
oculis, altaque & imperiosa voce, *Cymba*,
inquit, *provehere* : & illa continuò divini-
tus impulsā aliquantum proiecta, substi-
tit. Iterat ergo Vincentius idem impe-
rium, & hæc denuò paret; tumquè ite-
rum hæret. Tertiūm instat ille, ut pro-
grediatur: eaque progrediente, & tandem
ruto loco ad pedem rupis fixè subsisten-
te, facilè exscendunt. Inde respicientes
iter à se peractum, navim conspicantur à
sex fortissimus juvenibus propulsam idem
illud iter insistere; sed illi cùm ad
illud os pontis accessissent, collatis frustra
viribus fluctus subigere conati, tandem
redire coacti sunt.

Victoria

Victoria Miloni sexagenaria , bimestri
spatio acerrimos dolores in maxilla per-
pessa, cùm jam præ corum acerbitate nec
cibum nec potum capere , & vix auram
quam respirabat, ferre valeret, excellenti
chirurgo Neapolitano eam ostendit. Qui
dentem vitiatum deprehendens , mali-
utique radicem, postero mane se evulsum
rum spopondit. Interea gliscente dolo-
re singula temporis momenta ut ipsa qui-
dem testata est, mille annorum spatum
illi visa. Quare eam miserata domestica
puella, Vincentii jam mortui chirogra-
phum maxillæ ut imponeret, speraretque
viri illius sancti meritis sanitatem, rogavit.
excitatâ igitur fiduciâ illud admovit,
hisce omnino verbis precata: *Sancte mi-
Pater, per tuum viventis in Deiparam
amorem, pérque gaudium quod ex eius
præsentia in calo capis, sana hunc meum
dolorem.* Vix oraverat, cùm voti com-
pos effecta est, adeo ut vesperi ejusdem
diei , durissimos cibos commolere , &
sine ullo doloris sensu bibere potuerit;
& noctu placidam ceperit quietem. Mane
dum dentem putridum manu tentat ,
num doleat, an yacillet, sitnè extrahendus,

fortem & stabilem sine dolore sentit ,
jámque inde à Novembri anni 1650. ad
Augustum anni sequentis , quo hæc le-
gitimè confirmavit , omni liberum dolo-
re , nec minus aliis utilem experta est.

D. Isabella de Palma lethali malo in
dies ingravescente , atque omnem Medi-
dorum artem eludente , ad extrema
venerat . Jam æternitatis viaticum illi
quærebatur , imò quia Medici ex arteriæ
pulsu vicinam mortem præsentiebant ,
alter nuntius ad Curionem properabat ,
ut hunc ad maturandum iter urgeret ,
nisi immunitam vellet obire . Tantis in
angustiis unica spes ejus marito D. Mi-
chaëli Gomez superabat in ope P. Vin-
centii . Ad hunc ergo fratrem suum Ca-
rolum properè misit , quantocyus adefset ;
nec enim discrimin ac necessitatem mo-
ram ullam permettere . Induerat Vincen-
tius vestes sacerdotales ad proximè fa-
ciendum , dum nuntius hic afferebatur .
Confestim igitur iis exutus domum D.
Michaëlis festinat , qui ad imos scalarum
gradus eum avidè præstolabatur . Hunc
igitur lacrimis perfusum Vincentius cer-
nens , carum causam quæsivit . Respondit
ille

ille illicò, eam sibi maximam esse, cui
cum uxore peritura sint actutum omnia,
quæ sibi cura in orbe; nimirum illam
emori, & jam unum alterūmque ad Cu-
rionem excurrisse, Viaticum ut accele-
rent. Tum Vincentius pleno divinæ fi-
duciæ vultu, *Non, inquit, non est ei quid-*
quam tale metuendum. Jube sine mora
Curioni renuntiari nec cum Viatico veniat,
nihil enim illo opus est. Inter ea adest, qui
Curionem in via esse refert; atque adeo
proximè Viaticum adfuturum. At Vin-
centius in sententia perstans, voluit mitti,
qui redditum Curioni persuaderet, quod
statim est præstitum ob eximiam Vincen-
tii existimationem. Fuit qui deinde Vin-
centio renuntiaret revera Isabellam emo-
ri. Ad quem ipse, *An ignotum est, ait,*
me, dum verè periculum adest, instare so-
litum, ut satisfiat huic sumendorum Sa-
cramentorum obligationi? Hic verò nihil
omnino illis opus est, D. Isabella pro more
suo (nimirum semel intra octiduum com-
municandi) ad IESU ædem veniet ipsa-
met, & divinis epulis accumbet. Dicta
porrò sunt hæc omnia, priusquam ægræ
cubiculum iniret. Quod deinde ingressus,

Gg 5 cùm

cùm eam propè animam agentem vidis-
set, afferri sibi jussit cantharum grandem
aqua plenum, quam tamen medici ægræ
dari prorsus inhibuerant; quòd natura
morbi esset ejusmodi, ut eam illi præbere,
& occidere eadem esse affirmarent: nihil
ominus cùm allata esset, & illa vi sibi
factâ hauiisset aquæ nonnihil, è vestigio
ad vomendum provocatur, evomit, &
humoribus tetris ac fætentibus amplum
pelluvium complet: melius habet, & in-
tra octiduum in templo nostro Angelicæ
mensæ assidet, uti disertè vaticinatus erat
Vincentius.

Illustrissimum Dominum Archiepisco-
pum Surentinum, cùm interesseret justis
funebribus, quæ Vincentio reddebamus
in templo nostro Neapolitano, incesserat
cupido habendæ vel exiguæ phialæ quam
quispiam è Patribus nostris Vincentii san-
guine plenam habebat, vel certè papyra-
ceæ nativitatis Christi icunculæ eodem
sanguine circumtinctæ, medium palmum
magnitudine non superantis. Hanc ob-
tinuit, accepitque cum intimo sensu pie-
tatis. *Dum eam de oscularemur*, ait ipse
„ in juridico suo testimonio, tam suavem,
adeo

adeo sensilem , ac indubitatum lilii odo- „
rem percepimus, ut & animus permul- „
ceretur singulari voluptate, neque odo- „
ratum à tam grato odore abstinere posse- „
mus. Advocavimus ad nos D. Angelum „
Massari Sacerdotem Neapolitanum, unū „
è Capellanis nostris , eumque ex impro- „
viso jussum istam imaginem odorari, po- „
poscimus qualem odorem ex ea percipe- „
ret, responditque , lilii fragrantissimi. Et „
tamen papyrus, qua icuncula involveba- „
tur, ejusmodi odorem nequaquam emit- „
tebat. Recepimus nos in Domicilium „
nostrum Neapolitanum , & variis cam- „
dem imaginem odorandam præbuimus, „
qui propè omnes confirmarunt (nec enim „
poterat negari, cùm sensum acriter feri- „
ret) sentire se ex eâ lilii odorem. Eam- „
dem ea papyro involutam, qua nunc te- „
nemus, Surentum reduces vesperi loca- „
vimus super conclavis nostri mensula , „
postero mane armario concludendam : „
& ex ipsa lectica nostra lilii odorem per- „
cepimus; non capientes quî fieri posset, „
ut odor ille papyro clausus per cubicu- „
lum totum usque ad cubile se diffunde- „
ret. Atque alias variis occasionibus tra- „
didimus

didimus permultis eamdem iconem odo-
randam , qui omnes affirmarunt illum
lilii suavem odorem ab ea exhalari .
Hactenus Illustrissimus . Faxit dulcissi-
mus animarum Sponsus , qui pascitur inter
lilia , ut suavis ille castusque odor animos
nostros impleat , unde in sermones atque
actiones diffusus , & ab iis quibuscum
versari contigerit perceptus , omnes
castimoniæ sinceriæ Superum amoris
afficiat desiderio .

*Sequens relatio ex Auctoris voluntate huic
editioni Latinæ addita est iis ipsis ver-
bis quibus ad me missa , sub eadem ap-
probatione , ut vocant , protestatione ,
quam ipse initio operis præfixit .*

Duaci mense Junio anni millesimi
sexcentesimi quinquagesimi tertii ,
Cæcilia Catharina de Lannoy filia sexen-
nis D. Florentii de Lannoy , Fisci in Atre-
batensi ditione Curatoris ex Domina
Antonia Vainet conjugé , pervigilio San-
cti Joannis Baptistæ sub vesperam cùm
esset sub dio , subito videre desiit , sive ex
catharro in opticos nervos & oculos illa-
pso , sive ex fulgetra , quæ tunc erat fre-
quentior .

quentior. Ea cæcitas explorata postridie parentes affecit eò graviùs, quòd eorum filia altera & natu máxima Maria Margarita, annorum quinque & viginti, virgo cœlibem vitam agens, insolenti juxta atque ancipiti morbo pridem laborabat. Siquidem ab octava die Decembris anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi primi ruptâ venarum aliquâ, conficiebatur vomitione ferè quotidiana sanguinis, cā copiâ, ut quandoque ad tres pintas, ut vulgo loquuntur, hoc est, ad uncias medicas triginta sex, ut cùm minimè pintam unam duodecim nimirum unciarum in dies singulos ejetaret. Neque per id tempus viginti ferè mensium quies intercerserat ulla, nisi subinde ad unum atque alterum, summùm ad tres dies, si caniculares excipias, quibus ad undecim remisit malum. Accedebant dolores corporis, ad pectus & latera præsertim, acutissimi, usque adeo ut jacere in lectulo non valens, sedentis habitu in eodem quiescere cogeretur: insuper defectio-
nes varias ex ea tanta sanguinis exinanitione sustinebat, cum aliis symptomatis quæ plerumque post ipsam vomitionem
erant

erant graviora. Neque verò pepercerunt curis aut sumptibus parentes optimi filiam carissimam ut curarent. Medicos peritissimos quà Duacenos Academicos, quà externos, Leodiensem, Cameracensem, Bergensem, Hesdinensem, Athenensem adhibuerunt, qui omnes tentatis frustra, quæcunque ars ipsis suggerebat remediis, denique uno ore conclamarunt malum esse immedicabile, brevi tempore tabe corporis, neque multo post morte & fortassis subitâ finiendam. Afflictis igitur summopere ob primogenitā istam filiam parentibus, dolorem ingentē addidit filiolæ natu minimæ repente excoecatæ sors miseranda. Quare huic saltem curandæ remedia omnia quæsiverunt. ac primo loco Deum Opt. Max. ac Cœlites, & maximè Deiparam Virginem votis, peregrinationibus, novemdiilibus precibus, placandos, propitiandosque susceperunt. Ab his ad homines ventum est, Medicos urbis & Academiæ celeberrimos. ii ex artis suæ placitis, purgatione, phlebotomia, scarificatione per tres fere hebdomadas admotis, omnino nihil profecerunt, & apparebat malum

omni

omni medicinâ esse potentius; nam & puellula ex eo adeo nihil dum videbat, ut vel ardente candelam ob oculos positam non perciperet. Tetigit geminata illa familiæ honestissimæ ac peramicæ calamitas P. Hubertum Wiltheim Collegii Duacensis Societatis Iesu Rectorem, qui stimulos subdi sibi sensit ad illam adeundam solatii gratiâ, novumque remedii genus sugerendum: Vitam itaque R. P. Vincentii Carafæ ejusdē Societatis Generalis sanctæ memorię recenter Gallicæ impressam cum reliquiis ejus, parte nimirum diaphragmatis balsamo conditæ, quam R. P. Florentius de Montmorency, illius nuper Assistens, & post obitum Vicarius Generalis, Româ allatam ipsi donaverat, ad illos secum detulit. Atque domum ingressus primum omnium matrem (patre absente) materteram, sorores, ipsamque adeo parvulam cœcam in unum locum convocatas paucis allocutus, nonnulla ex dicto libro prodigia legit, ut in spem ac fiduciam omnes erigeret, sanitatis ejusdem viri Dei meritis obtinendæ: deinde reliquias ipsas pio ante osculo ab omnibus salutatas,

salutatas, oculis parvulæ applicuit, hor-
tatus ad extremum ut eisdem honorem
haberent, adeoque novemdialem com-
precationem nuncuparent. Paruit piissi-
ma familia persanè diligenter, & omissis
tantisper ex ejusdem Rectoris consilio
medicamentis reliquis, ac nominatim
cauterio duplice, altero in collum, in
brachium altero destinato, qui ultimus
erat artis conatus, tota in pietatem in-
cubuit. Aderant quotidie omnes quas
dixi unam cum parente certo tempore, in
Oratorio domestico, atque cæca ipsa
prædictas reliquias oculis applicans insi-
gni simplicitate identidem inclamabat:
Beate Pater Carafa cura oculos meos.
audisse innocentia vocem visus est Pa-
ter; siquidem altero aut tertio suscepit
orationis novemdialis die, videre iterum,
at non sine quadam caligine cœpit, quâ
magis magisque discussâ in dies, ante
finem novemdialis spatii pristina & per-
fecta facultas videndi est consecuta,
hodieque integra perseverat. Ad hoc
domesticum, seu verius cœleste lumen,
oculos quoque aperuit & fiduciam exci-
tavit maiorem Maria Margarita sororum
maxima,

maxima, quam depositam ante à Medicis
diximus, quæ & ipsa unà cum parentibus
& reliquâ familiâ novemdiales preces
persolvebat: cumque nonus & is ultimus
adeflet dies, suoque inveterato malo, &
quidem solito gravius conflictaretur, in-
genti in Patrem Carafam fiduciâ con-
ceptâ votum piorum quorumdam ope-
rum ad honorem ejus præstandorum fe-
cit; simul è lecto prorepens ejus reliquias
in Oratorio collocatas accepit, & secum
detulit, tum ope ejus piè ardenterque
implorata, pectori, in quod maximus
incumbebat dolor, illas applicuit; sensit
cœlestem manum vis mali; nam conti-
nuò, non sine convulsione & acerbo
cruciatiū ejecto per os copioso sanguine,
qui duas pelves implevit, omnis præter
morem cessavit & evanuit doloris sensus.
Virgo corpus ipsum, & interiora præser-
tim cum tota valetudinis habitudine pla-
ne commutata persentiscens, mox salvam
se ac valentem esse exclamat, & jam lecti
ac moræ impatiens exsilit, veste se in-
duit, atque ē vestigio in templum Socie-
tatis J E S U non parum à domo sua di-
stans, gratiis Deo, ac Patri Carafæ pro

H h

recepta.

recepta sanitate habendis properat. Ex eo, hoc est undecimo die Julii, anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi tertii, usque ad hodiernum, nullo relicto pristini mali vestigio, ne sanguinis quidem guttam ore ejecit: quin etiam postridie ad eundem Rectorem venit, eiique indubitanter asseveravit, sanam se a cospitem esse, quando aliter planè atque antea & corpore & pectore constitutam se sentiret. Et fidem auget quòd ab eo tempore non modò vires ei restitutæ sunt, verùm etiam vividus corporis orisque color & habitus perseverat. Quæ omnia in hac postrema relatione descripta RR. Domini Vicarii Generales Sedis Episcopalis Atrebatenfis vacantis, auditis, exacto priùs jurejurando, & coram visis & examinatis, tum parentibus ac filiabus suprà nominatis, tum duobus Medicinæ Doctoribus & Professoribus in Academia Duacena, qui puellis curandis artem frustrà intenderant, tum denique prædicto Collegii Societatis J E S U Rectore, & alio ejusdem Societatis Sacerdote S. Theologiæ Doctor, qui omnes curationes illas vires naturæ

VINCENTII CARAFÆ. Lib. II. 483

naturæ excedere censuerunt , vera hæc
esse compererunt , & manu ac sigillo suo
confirmarunt undecima Decembris anni
millesimi sexcentesimi quinquagesimi
tertii.

*Laus DEO , Immaculatae Deiparæ ,
amantissimæque Angelo Tutelari.*

F I N I S.

E R R A T A.

Menda

- pag. 18 lin. 25 misi *Emenda*
 mihi
pag. 45 lin. 11 Dupios Lupios
pag. 431 lin. 7 vingenitum unigenitum